HORTI INDICI MALABARICI
PARS QUARTA
DE
ARBORIBUS FRUCTIFERIS
REGNI MALABARICI,

Latinis, Malabaricis, Arabicis, & Brachmanum Characteribus nominibusque expressis,
Unà cum Floribus, Fructibus & Seminibus, naturali magnitudine à peritissimis pictoribus delineatis, & ad vivum exhibitis.
Addita insuper accuratâ earundem descriptione, quâ colores, odores, sapores, facultates, & præcipuæ in Medicina vires exactissimè exhibentur.

ADORNATA
Per Nobilissimum ac Generosissimum D.D.

HENRICUM VAN REEDE, TOT DRAAKESTEIN,
Toparcham in Meydrecht, quondam Malabariei Regni Gubernatorem, supremi Consessus apud Indos Belgas Senatorem Extraordinarium; nunc vero Equestris ordinis nomine Illustribus ac Præpotentibus Provinciæ Ultrajectinæ Proceribus adscriptum,
ET
JOHANNEM MUNNICKS, M. D.
In eademque facultate Anatomes ac Botanices in Academia Ultrajectina Professorem, & Reip. Ultraj. Poliatrum.
Notis adauxit, & Commentariis illustravit
JOANNES COMELINUS.



AMSTELODAMI,
Sumptibus Viduæ JOANNIS van SOMEREN, Hæredum JOANNIS van DYCK, HENRICI & Viduæ THEODORI BOOM.
Anno cIↄ Iↄc LXXIII.

GENEROSISSIMO ET NOBILISSIMO

DOMINO

D. HENRICO JACOBO DE TUYLL DE SEROSKERCKEN,

Libero Baroni Vrelandiæ oppidi, Quæque ſunt ejus juris Domino, Toparchæ in Zuylen, Sweſerengh, Weſtbroeck, Cookengen quæ eſt Lochorſtianæ ditionis, Neederhorſt, Overmeer, Horſtweert, Nichtevecht: Ex ordine equeſtri præpotentibus Reipublicæ Ultrajectinæ Proceribus, nec non conſeſſui ordinariorum delegatorum adſcripto.

SI quis hoc tempore, Dilectiſſime Cognate, gratiarum actione quempiam demereri conetur, hæſitare & ambigere eum oportebit, quum curioſum nimis, & delicatulum hoc ſeculum pretioſiſſima quæque tam vilia, tam vulgaria habeat, ut vix quicquam alicujus faciat, niſi quod novum, rarum, ac inauditum ſit; qualia non pauca Quartam Horti Malabarici partem

continere puto, quam idcirco in amicitiæ, & necessitudinis nostræ, ac imprimis ad tui in me exornando enixi studii memoriam, gratumque animum testandum Generositatis tuæ nomini dicare constitui: si inter gravissima Reipublicæ hujus onera, in defessi animi relaxamentum, hisce stirpibus remotissimi à nobis soli, ac otii mei fructibus, oculos aliquando, animumque libuerit advertere, ac meditari quam ampla, quam mirabilia sint Creatoris nostri opera, & quam nos ignari simus innumerarum rerum, quæ alibi terrarum reperiuntur; tum equidem ero voti mei compos, quo æternum tibi devinctus, usque ero


NOBILITATIS TUÆ

Amantissimus

HENRICUS VAN REEDE
TOT DRAAKESTEIN.

HOR-

Mangifera indica




Mangifera indica
Pars 4. Tab. 2.
Maù. lat.
mal.
Ambô
bram.
Arab.

PARS QUARTA

HORTI MALABARICI DE ARBORIBUS.

MAO, seu MAU, vel MANGAS.

Tab. 1. 2.



ARbor hæc Indis *Mange*, Malabarensibus *Mao* seu *Mau*, Brachmanis *Ambo*, Lusitanis *Manga* seu *Mangeira*, Belgis *Manges*, nuncupatur: Estque vastæ magnitudinis, altitudine quadraginta, crassitie vero octodecim pedum mensuram circiter æquans, multisque ramis in orbem longè lateque diffusis donata; qui cortice glabro, atro-viridi, ac nitente muniti, ubi inciduntur liquorem stillant fuscum, suaveolentem, acrem, amarum: Lignum albicans, molle, ac leve, cortice obductum crasso, scabro, & nigricante; isque vulneratus itidem lachrymam fundit fuscam, viscidam, & tenacem, quæ radiis solaribus in gummi substantiam tandem spissescit.

Radix crassa, albicans, cortice crasso, purpureo, at intus croceo tecta, nec non fibris suis latè per terram diffusa; sapor amarus, odor aromaticus.

Folia bina, terna, aut quaterna simul ex eodem pediculo ramulis inhærent, oblongo-teretia, densa, glabra,

longitudine ſpithamam, latitudine palmum ſuperantia, ſupernè ſplendentia colore viridi-fuſco, infernè viridi dilutiore; coſta media craſſa, flaveſcens, diviſa, & in utraque parte altè extuberans, e qua nervuli aliquot transverſi ſuperiora verſus excurrunt: odor ſuavis, ſapor aromaticus. Folia tamen tenella, e vertice ramorum prodeuntia plerumque ſubrubra ſunt.

Flores ramulorum extremis racematim inhærent, exigui, uvarum floſculis haud abſimiles, atque e calyce viridi in quinque lacinias ſecto prodeunt, quinque tenuibus, acuminatis, candidis foliolis, flaveſcente maculâ intus notatis, conſtantes, quinque intus albicantibus fibris, flaveſcentibus apicibus dotatis, ac ſtellæ in modum inter foliola expanſis, præditi, in quarum medio ſtylus prodit albus; odor ſuavis ac melleus, ſapor aromaticus.

Fructus oblongo-rotundi, plani, ad latus leviter ſinuati, renali formæ haud abſimiles, ovum anſerinum magnitudine ſuperantes, glabri, nitentes, primum virides, albis interſtincti punctulis, dein viridi-flaveſcentes, tandemque aurei, carne flaveſcente ac ſucculentâ (mali Perſici aut potius pruni carni haud abſimili) acidi primum, dein acido-dulcis, gratique ſaporis intus referti, ac pelliculâ tenui villoſâ ac tomentoſâ aucti. Intra carnem *oſſiculum* continetur oblongum, compreſſum, & lanuginoſum, quod *Nucleum* includit calloſum, oblongum, amygdalæ perſimilem, amaricantem, non tamen guſtui inſuavem. Cæterum fructuum horum Mangas, haud ſecus ac pomorum & pyrorum noſtratium, variæ dantur ſpecies, quæ pro regionum natura & diverſitate plurimum variant.

Creſcit ſobole aut ſeminibus ſata in multis provinciis, uti in Malabar, Goa, Guzaratte, Balagate, Bengala, Pegu, Malacca, Ormuz, aliisque Indiæ locis. Quæ in ſylvis ſpontè provenit ſpecies, Luſitanis *Mangas dos Matos*, hoc eſt *Mangas Sylveſtris* appellatur, non *Mangas Bravas*: hæc quippe

pe adeo præſentis veneni eſt, ut Indigenæ illius fructu ſe mutuo perimant, eaque delineatur in parte prima Tab. 39. nomine *odallam.* Porro arbor hæc perpetuum frondet, ſingulisque annis ſemel aut bis maturos profert fructus, qui menſibus plerumque Aprili, Mayo, Junio, & Julio colliguntur; atque a ſationis anno ſexto vel ſeptimo ad centeſimum usque frugifera eſt.

Lignum hujus arboris cum ſantalo in uſu eſt comburendis gentilium cadaveribus, utpote huic ritui ſacrum; hinc & ex eo ciſtæ fiunt ferales, in quibus cadavera recondunt. Inſuper ad fabricam lignum hoc adhibetur, verum cum mollius ſit, ocyus teredinem ac corruptionem patitur, quapropter ad viliora opera ſolummodo uſurpatur: eam quoque ob rationem naviculæ minores, quæ ex eo fiunt, quæque *Mansjous* Indigenis dicuntur, aquæ & aëri ſine putredine diu reſiſtere nequeunt. Frondibus ædes ſuas diebus feſtis exornant Brachmanes. Foliis dentes fricant & purgant. Caules vicem Arequæ ſeu Kaungæ ſubeunt in maducatione Betel, iidemque calcinati ac in pulverem redacti verrucas tollunt. Ex foliis tenerioribus, corticibus Avanacoe *hoc eſt* Ricini, ſemine cumini, & Parpadagam decoctio fit, quæ tuſſi, aſthmati, aliisque thoracis affectibus ſummoperè prodeſt. Arboris cortex in pulverem redactus & cum juſculo gallinaceo exhibitus, ſanguinem ex caſu alicubi extravaſatum & coagulatum egregiè diſſolvit. Expreſſus e cortice ſuccus cum albumine ovi, & tantillo opii aſſumptus præſentaneum contra diarrhæam, dyſenteriam, & teneſmum remedium eſt: ſimiliter ex arboris gummi, & floribus oryzæ, addito opii & piperis pauxillo pilulæ conficiuntur, quæ cuicunque alvi fluxui medentur. Fructus denique ablato cortice comeduntur aut ſine vino, aut generoſo aliquo vino macerati, veluti perſicæ. Coquuntur etiam, & cocti ut mala & pyra uſurpantur, vel varia ciborum genera ex iis conficiuntur. Non raro conſer-

 van-

tur melle aut ſaccharo; interdum verò aceto & muria, inſperſis in eorum meditullio alliis, ſinapi, & zinzibere, condiuntur in *Atsjaar*. Cæterum fructus hi frigidi & humidi ſunt, tametſi vulgus calidos conſtituat, & multas roſiones in eorum, qui veſcuntur, ventriculo parere affirmet: Quin & Indigenæ Medici calidos faciunt, & vituperant, cenſentque ſerpiginem, eryſipelas, febres bilioſas, phlegmones, ſcabiemque generare: At eo tempore quo colliguntur hi fructus ob immoderatum æſtum, in ſimiles morbos incidunt etiam nonnulli, qui illis abſtinent. E fructibus porro maturis ſuccus exprimitur, qui addito ſale, radiis ſolaribus inſpiſſatur, ſicque ad varios uſus per annos aſſervatur. E nucleis ſiccatis farina fit, ex eaque varia ciborum genera conficere norunt indigenæ.

TAB. I. 2.

Arbor hæc Caſparo Bauhino pin. lib. 11. ſect. 6. *Perſicæ ſimilis putamine villoſo*. Bontio lib. 6. cap. 5. *Arbor Mangifera*. Garciæ ab Horto, Acoſtæ, aliiſque *Mangas* nuncupatur. Genera fructuum horum plura proveniunt, qui tamen vix, niſi ſoli natalis ratione, inter ſeſe diſtinguuntur; eorumque aliqui duas non rarò ponderant libras.



A D A-

Terminalia Catapp


Adámaram. latin.

അടമരം mal.

Chíba.

गीवा bram.

[illegible] Arab.


Terminalia Catappa
Pars 4. Tab. 4.
Adámaram. lat.
Mal.
Chiba.
bra.
Arab.

ADAMARAM.

Tab. 3. 4.



damaram vel *Saros* Malabarenſibus, *Jibe* Brachmanis, *Pinha* Luſitanis, *Katappes* Belgis, nec non Javanis & Malaccis, Præcelſa eſt arbor, atque ſpecioſa plurimum, ramis decuſſatim in alios minores diviſis, in orbem brachiata, ita ut velut alæ expanſæ videantur, ac (uti in Abiete, Pino, & Panja, parte. 3. Tab. 49. 50. 51. deſcripta, videre eſt) ſurſum verſus magis magiſque gracileſcant frondes, donec pyramidis ferè formam attingat: Ligno eſt albo, præduro, cortice glabro, extus cinereo, intus rubicundo, munito; ramulis vero tenerioribus viridibus ac lanuginoſis.

Radix cinerea, rubicundo cortice tecta, inodora, inſipida.

Folia brevibus, rubicundis ac villoſis petiolis plura ſimul juncta, ac in orbem expanſa, ramulis utrinque inhærent, oblongo-rotunda, ſplendentia, glabra, longitudine ſeſquiſpithamam, latitudine ſpithamam circiter æquantia, ſupernè viridia, infernè e viridi flaveſcentia, ac lanuginoſa, nervis aliquot in adverſa parte eminentibus ex media coſta inordinatim in latera excurrentibus; ſapor amarus, odor nullus.

Flores exigui, inodori ac inſipidi, tenuibus, rubicundis ac hirſutis petiolis inter expanſa folia ramulis, uti ri-

bium flores, racematim cohærent, quinque acuminatis, densis, intus albicantibus, extus viridibus foliolis constantes, decem in medio tenuibus, albicantibus staminibus, tot apicibus dotatis, mediam floris cavitatem & umbilicum occupantibus; quinque nimirum stellæ in modum inter foliola expansis, quinque vero erectis; inter quæ stylus prodit viridis, hirsutus, ipsius fructus rudimentum.

Fructus oblongo-rotundus, compressus & in arcum tensus, amygdalæ persimilis, at major, cortice primum viridi, glabro & nitente, dein rufo, scabro ac duro obductus; eo vero in maturitatem tendente dehiscente, & facilè ossiculum leve, oblongo-rotundum relinquente: putamini duro *Nucleus* inest albicans, sapore amygdalæ præterquam quod inter masticandum, secus ac amygdala penitus dissolvatur, nullâ remanente ipsius nuclei substantiâ. Hic autem nucleus duobus constat albicantibus ac rotundis foliolis spiraliter convolutis, quæ in medio juxta longitudinem patens foramen relinquunt, uti apparet si nucleus in aqua calida tantisper maceretur; tunc enim convolutione hac laxatâ & solutâ, Nucleus Tab. 3. Fig. 5. in duo foliola rotunda, candida, quæ pedunculo brevi albo insident, se expandit Fig 6. ut adeo totius nuclei conformatio conspectui sese manifestè exhibeat.


Nascitur hæc arbor in sylvis Malabar, locis præsertim arenosis, plurimumque in hortis colitur. Ter singulis annis maturos exhibet fructus, cumque floret antiqua decidunt folia, iis præcipuè in locis ubi flores, erumpunt, atque ab anno tertio ad octogesimum non raro frugifera manet.

Ex foliis arboris placentulas conficere norunt Indigenæ

næ, quas comedunt: foliorum ſuccus cum oryzæ infuſo mixtus & exhibitus humores bilioſos temperat, capitis dolorem ex læſa alimentorum in ventriculo fermentatione ortum ſanat, nec non acerrimis doloribus colicis medetur. E foliis tenerioribus, & ſucco lacteo nucis indicæ unguentum fit contra ſcabiem, lepram, impetiginem, ſimilesque affectus cutaneos: eademque folia oleo palmæ oblita, ac foris gutturi impoſita faucium tumores reſolvunt. Fructuum Nuclei in deliciis comeduntur, ex iiſque lac emulgetur uti ex amygdalis, nec non oleum exprimitur oleo amygdalarum perſimile, præterquam quod nunquam rancorem contrahit.

Tab. 3. 4.

[1] Arboris hujus meminit *Joh. Nieuhof in Itinerario* nomine *Katappers* ſeu *Amygdalæ Indicæ*: nemo tamen, quod ſciam, ante apertum hunc hortum Malabaricum exactam ejus deſcriptionem exhibuit, & iconem.




Pars 4. Tab. 5.
Panam-pálca. lat.
mal.
Ambadiki.
bram.
Arab.

PANEM - PALKA

TAB. 5.



ARbor quæ Malabarenſibus *Panam - Palka*, Brachmanis *Ambadeki* & *Palka*, Luſitanis *Noz de Moluco falſo*; Belgis *wilde Mannekes Noote-boom* dicitur, procera eſt, caudice craſſo, nullisque ramis denſis donato; qui cortice fulvo obducti, ac medullâ intus molli, haud ſecus ac in ſambuco obſervatur, referti ſunt: Lignum albicans, ponderoſum, inodorum, inſipidum, cortice obductum ſpadiceo - rubro, intus albicante, qui cuticula tenui nigricante inſuper munitus eſt.

Radix itidem albicans, cortice cinereo, fragrante & ſubamaro cincta.

Folia oblongo - rotunda, acuminata, denſa, glabra, mali aurantiæ foliis haud abſimilia, exceptâ illa appendice, qua hujus arboris folia carent, brevibusque ac rotundis petiolis ramulis inhærentia, ſupernè colore atroviridi ſplendentia, infernè viridi - dilutiore; a medio illo, craſſoque nervo, folium per longitudinem medium ſecante, exoriuntur plures alii minores, tenuioresque nervuli ad folii latera expanſi: ſapor ſylveſtris ac acerbus, odor ſuavis.

Flores exigui circa ramulos teneriores ubique inter folia brevibus, rotundis, ac viridibus petiolis glomeratim, non ſparſim producuntur, ſenſimque porrectis columellis umbellæ ſpecie panduntur: conſtant unico ſubflaveſcente foliolo ſeu calyce, ſed in tres quatuorve leves inciſuras aut lacinias diviſo, in cujus medio ſtylus dit albicans & brevis; odor nullus, ſapor ſylveſtris.

Fructus bini terni, aut plures conjunctim ramulis inhærent, oblongo-rotundi, ac ovo anſerino cum formâ tum magnitudine haud abſimiles, extus viridi-flaveſcentes, cortice craſſo, carnoſo, molli, ac pulvinato, ſaporis acido-adſtringentis, odoriſque ingrati, tecti, juglandis aut perſici in modum: huic ſubeſt putamen ſeu cortex lignoſus, nullo nec ſapore, nec odore, intus cinereus, foris ex nigro ſpadiceus, valleculis hinc inde depreſſis inæqualis; quas extimo & huic jam dicto cortici interjecta quædam ſubſtantia, veræ maci perquam ſimilis, explet, reticulato plexu certis locis durum illum corticem obvolvens, coloris ex rubro flaveſcentis, odoris ac ſaporis haud ita grati, ac vera macis, quo ſigno à ſe invicem diſtinguuntur: perrupto verò cortice lignoſo *Nucleus* adeſt oblongus, dactylum tam figurâ, quam magnitudine referens, coloris ferè cinerei, & rugoſus, nec non nuci moſchatæ mari perquam ſimilis, præterquam quod vix ullus ſapor odorve hoc in nucleo percipiatur.

Creſcit ubique in ſylvis Malabar: ſemel aut bis quotannis maturos profert fructus, Junio viz. aut Decembri & Januario menſibus, diuque frugifera manet.

Cæterum nuces hæ nullius ſunt uſus in re Medica: Expetuntur tamen à Mercatoribus Turcis ac Judæis, qui easdem veris nucibus moſchatis maribus, nec non ſubſtantiam hanc ex rubro flaveſcentem, ac lignoſum hujus fructus corticem obtegentem, veræ maci admiſcent, ſimulque vendunt; ſimiliter e Nucibus hiſce, earundemque maci oleum exprimunt, quo genuino nuciſtæ oleo admiſto emptores fallere haud rarò ſolent.

Tab. 5.

Fructum hujus arboris ſæpius obſervare licuit, differt a *Nuce moſchata fructu oblongo. C. B.* cum magnitudine, tum duritie, & præſertim ſapore; ſpecies tamen ejus merito habetur. Hujus quoque meminit *Joh. Bauhinus hiſt. plantar Tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 203. ubi *Nucem Indicam oblongam*, *intrinſecus ſimilem nuci moſchatæ* eam appellat.

SAM-


Barringtonia racemosa
Samstravari. lat:
mal.
Sadapali. bra.
सद्फली
Arab.

SAMSTRAVADI,

seu

Eugenia racemosa L. sp. 673

CAIPA-TSJAMBU.

Tab. 6.



Amstravadi Malabarensibus, *Sada-pali* Brachmanis, *Rosairo de Jambu* Lusitanis, *wilde Jamboesen* Belgis, Arbor est vastæ magnitudinis, caudice crasso, ramis cinereis, saporis amari, odorisque subacidi, hinc inde in orbem diffusis donata; Lignum ex albo flavescens, densum, cortice viridi intus albicante cinctum, qui crustâ nigricante, scabrâ, ac asperâ insuper obductus est.

Radix crassa, furva, albicante cortice munita, nec non fibris suis longè latéque per terram diffusa; sapor acris & amarus, odor ingratus ac terrestris.

Folia stellæ in modum plura simul juncta, crassis, brevibus, atro-purpureis petiolis, ramulorum extremis proveniunt, oblongo-rotunda, acuminata, crassa, densa, in ambitu crenata, supernè colore atro-viridi splendentia, infernè viridi dilutiore, spithamam aut amplius longa, palmum lata; a pediculo ad apicem folii nervus decurrit conspicuus, rotundus, viridi-albicans, infernè eminens, è quo plurimi superiora versus exoriuntur nervuli, qui in se invicem arcuatim deferuntur: sapor amarus & acris, odor suavis ac pomum vinosum maturum redolens.

Vetuſtiora autem hujus arboris folia vitri inſtar fragilia fiunt & decidunt, atque ſui ſtigmata in ramis & trunco relinquendo variis tuberibus eos cingunt.

Flores inodori ac amari, floribus *Nati-Tsjámbou* part. 1. Tab. 18. deſcriptæ (cujus genus ſylveſtre hæc arbor eſt) haud abſimiles, itidem ramulorum extremis inter expanſa folia proveniunt, caulibus Nimirum rotundis, flexilibus, purpureis, glabris, nitentibus, ac duas, tres quatuorve ulnas Italicas longis, quibus plures hinc inde adhærent, atque è calyce craſſo, rotundo, viridi-purpureo, bipartito aut tripartito prodeunt, quatuor oblongo-rotundis, acuminatis, craſſis, ex viridi albicantibus, ac pellucidis foliis conſtantes, numeroſis ſtaminibus purpureis, flaveſcentibus apicibus dotatis, mediam floris cavitatem & umbilicum occupantibus; inter quæ ſtylus prodit oblongus, purpureus, è fructus ipſius vertice demum eminens.

Fructus pyris noſtratibus haud abſimiles, at inferius latiores, ſuperius anguſtiores, quatuor angulis craſſioribus ſulcati, & in vertice calyce florum ſurrecto coronati, cortice tenui, undique carni arctiſſimè adhærente, glabro, nitente, primum viridi, dein ex candido rubeſcente cincti; carne albicante, & ad corticem rubeſcente, denſâ, ſaporisque ingrati ac amari, intus referti; intra quam *Nucleus* locatur oblongo-rotundus, cum formâ, tum ſubſtantiâ & ſapore glandi perſimilis.

Naſcitur hæc arbor locis ſylveſtribus ac humidis in Paroe, Oediampere, aliisque provinciis Malabar; perpetuò frondet; floret, ac fructus fert, quamobrem Brachmanis *Sada-pali*, hoc eſt, *frugifera arbor*, à *Sada* frugifera & *Pala* arbor nuncupatur, diuque ſuperſtes manet.

Cæ-

Cæterum Ethnici Jogues ſeu peregrinatores ſuperſtitionibus addictiſſimi, florigeris ac fructigeris hujus arboris caulibus ſeſe exornant, eoſque de collo ſuſpendunt ac ſacros faciunt: Adhæc fructiferi hi caules ipſis ſunt ad preces numerandas, quod obſervantes Luſitani arborem ipſam *Roſairos* dicunt. Porro folia in eduliis ſunt: ſuccus è foliis expreſſus, & cum oleo palmæ in unguenti conſiſtentiam coctus, ſcabiem ſanat ſi eo pars affecta ungatur. Nuclei fructuum in pulverem rediguntur, iſque diarrhæam ſanat ſi cum fimo caprino, ſaccharo, & lacte ebutyrato mixtus exhibeatur; ſi vero cum zinzibere & ſucco limonum ſumatur, teneſmo medetur; urinæ humanæ ſi admiſceatur quibuſcunque venenis antidotum eſt; cum vino ſi propinetur, colicam paſſionem ſanat; cum aqua mixtus & exhibitus, vel foris applicatus hæmorrhoidum dolores placat; tandem cum lacte muliebri epotus vomitum excitat, nec non icterum, alioſque morbos bilioſos curat, at oculis adhibitus eorum affectibus conducit.

Tab. 6.

Malè huc refertur *Samſtravadi*, quæ ſpecies eſt *Tsjambou* part. 1. Tab. 17. & 18. deſcriptæ, ubi convenientius potuiſſet proponi.




Barringtonia acutangula
Sjeria-Samstravadi. lat.
mal.
Sadapali. bram.
सदफकि
Arab.

TSJERIA SAMSTRAVADI.

Tab. 7.



Ltera hic exhibetur *Samſtravadi* ſpecies, quæ Malabarenſibus *Tsjeria Samſtravadi*, Brachmanis *Gove-ſada-pali*, Luſitanis *Roſairo Brava*, Belgis *Beedelſnoeren* nuncupatur: Eaque præcedenti perquam ſimilis eſt, nec proceritate cedi.t *Radix* tamen ex albo flaveſcens, fibrata, amara, inodora.


Flores purpurei. *Fructus* quadranguli, ſaporis prius dulcis, dein amari & ingrati.

Provenit in variis provinciis Malabar, locis nimirum uliginoſis ac aquoſis; ſingulis annis maturos exhibet fructus, Menſibus viz. Januario, Februario, Martio, & Aprili.

Arboris hujus lignum durum eſt, & ſolidum, atque operi fabrili accommodum: Cæteræ verò partes eundem planè uſum habent cum Samſtravadi.

T A B. 7.


Nulla, quod ſciam, inter Botanicos Arboris hujus facta eſt mentio; & quanquam ab Auctore huc referatur, vix ullam tamen cum *Tsjambou* ſimilitudinem habere videtur.



Cátu-tsjámbu. lat.

Mal.

Arab.



MALLA-KATOU-TSJAMBOU.

Tab. 8.



Alla-Katou-Tsjambou, hoc eſt *Tsjambou Montana*, Malabarenſibus, *Malambetti* Brachmanis, *Jambous dos Bugios* Luſitanis, *Swyne-Jamboesen* Belgis, Arbor eſt mediocris magnitudinis, quatuordecim circiter pedes alta, caudice albicante, variis ramis in orbem diffuſis donato, qui cortice ſcabro, primum ruſo, dein cinereo, ſaporis adſtringentis, odoriſque ſylveſtris obducti ſunt.

Radix flaveſcens, ruſo cortice tecta, unctuoſa, inſipida, inodora.

Folia geminata brevibus petiolis ordine decuſſato ramulis inhærent, oblongo-rotunda, acuminata, craſſa, denſa, glabra, atro-viridia, ſupernè nitentia, infernè nequaquam; nervis aliquot è coſta media albicante, ac in adverſa parte altè extuberante, in latera excurrentibus: ſapor acidus & auſterus, odor nullus.

Flores exigui, Tiliæ florum magnitudine æmuli, purpurei, inodori, acidi, numeroſi ſurculis tenerioribus proveniunt, atque calyci viridi, in quinque rotunda, cochleato-cava foliola ſecto, inhærent, quinque aut ſex craſſis, mollibus, ſubrotundis, ac exteriora verſus reflexis foliolis conſtantes, in quorum medio ſtylus prodit itidem purpureus, ſuperius tripartitus.

Floſculis pari fertilitate ſuccedunt *fructus* ſubrotundi, magnitudine prunis haud abſimiles, umbilico lato quadripartito in vertice præditi, viridi cortice cincti, carneque denſâ, acidi ac ingrati ſaporis, intus referti; intra quam *Nucleus* locatur albicans, itidem acidus & auſterus.

Naſcitur frequenter locis montanis in Paroe, aliisque provinciis Malabar; quotannis maturos fert fructus, Menſe viz. Auguſto.

Radix vero extrinſecus variis modis uſurpatur ad Cephalalgiam, aliosque capitis affectus.

TAB. 8.

Tertia hæc *Tsjambou ſylveſtris* ſpecies hujus Horti, haud dubiè eadem illa arbor eſt, cujus meminit *Joh. Nieuhof in Itinerario* nomine *Jambu ſylveſtris minoris:* magnam ſimilitudinem hábet cum *Malacca-ſcambu* & *Nati-ſchambu* part. 1. Tab. 17. & 18. deſcriptis.



KATOU-

Holigarna longifolia


Cáttu-tsjéru. lat.

mal.

Rána-bibò. bra.

रानबावा

Arab.




KATOU-TJEROE,

seu

CHERU

Tab. 9.

Atou-tjeroe* Malabarensibus, *Rana-bibo* Brachmanis, *Uvas d'inferno* Lusitanis, *Dulle pruymen* Belgis, præcelsa est arbor, atque speciosa plurimum, caudice crasso, multisque ramis longè latéque dispersis, ac cinereo cortice cinctis, ornato; ramulis tamen tenerioribus viridibus. Lignum albicans, densum, furvo ac lanuginoso cortice munitum, isque vulneratus lachrymam fundit rubicundam, glutinosam, graveolentem, acerrimam ac urentem, quæ radiis solaribus tandem nigrescit.

Radix albicans furvo cortice tecta, inodora, saporis unctuosi, nec non acris & urentis.

Folia inordinatim circa ramulos proveniunt, spithamam circiter longa, & pollicem aut sesquipollicem lata, supernè colore atro-viridi nitentia, infernè viridi-dilutiore; à medio illo, crasso, & in utraque parte altè extuberante nervo, folium per longitudinem medium secante, plures alii minores oriuntur nervuli, ad folii latera ordinato ac parallelo ductu expansi: sapor acris & urens, succumque continent rubicundum, itidem acrem & urentem, cutemque exulcerantem uti ranunculus.

Flores ex ramulorum extremis racematim profert, petiolis nimirum oblongis, viridibus, & hirſutis, candore inſignes, teneros, ſuaveolentes ſi ſertum iis refertum offeratur, alioquin ſi ſingulares naribus admoveantur, odoris ferè expertes, ſaporis acris ac urentis, è quinque foliolis acuminatis, lanuginoſis, & in orbem expanſis compoſitos, in quorum medio fibræ albæ rubicundis & nigricantibus apicibus ornatæ, quarum nonnullæ inter foliola expanſæ, nonnullæ vero erectæ cernuntur.

Floſculis pari fertitilitate ſuccedunt *Fructus* parvi, ex rotundo oblongi, uvis cœruleis majoribus, quæ Græcis βούμαστος dicuntur, cum formâ tum magnitudine perquam ſimiles, primum virides, paulò ante maturitatem glauci ac lanuginoſi, tandem matureſcentes atro-cœrulei & glabri, intuſque carne ſubfuſcâ, ſucculentâ, nec non glutinosâ, acri ac urente referti; intra quam oſſiculum locatur oblongum, nucleum continens albicantem, unctuoſum, amariuſculum, & ſubacrem, formâ avellanæ haud abſimilem.

Inſuper arboris hujus altera datur ſpecies, Malabarenſibus *Tsjeero*, Brachmanis *Bibo* dicta, huic perquam ſimilis, præterquam quod fructus non ex rotundo oblongos ac atro-cœruleos, ſed planè rotundos ferat & nigricantes.

Naſcitur porro arbor hæc ubique in Malabar, locis tum ſylveſtribus, tum montanis, nec non in fluminum ripis; perpetuo frondet, floret, aut fructus fert, manetque ſuperſtes ad ducenteſimum non raro annum. Colitur plerumque in agris ubi oryza aut frumentum provenit, ad aviculas deleteriâ hujus arboris qualitate pellendas.

Cæterum ex ligno naviculæ fiunt minores, Indigenis

nis *Mansjous* dictæ. Lachrymâ rubicunda & fuſca, quam fundit vulneratus cortex, nec non fructuum ſucco acri & glutinoſo, admixtâ calce, pictores utuntur ad lina goſſypina variis figuris indelebili colore pingenda. Fructuum decoctio in lacte dulci pota ſcabiei, lepræ, capitis dolori è causâ frigidâ, vertigini, colicis cruciatibus, aliisque affectibus è viſcidis, pituitoſis, & flatulentis humoribus natis, conducit. Succus è fructibus & arboris cortice expreſſus, ac dentibus admotus odontalgiam ſanat; nec non tumoribus frigidis applicatus cutem erodendo, ac veſiculas excitando (haud ſecus ac potentiale cauterium) eos aperit. At licet variis modis arbore hac, ejusdemque partibus utantur Indigenæ, ex iisque medelam variis affectibus quærant: nihilominus tamen inter Indos reperiuntur, quibus arbor hæc noxium eſt venenum, atque ex levi ejus attactu totum corpus mirum in modum intumeſcit; quod ſymptoma lacte, butyro, aut oleo aſſumpto, protinus mitigatur.

Tab. 9.

Nucis cujusdam inſanæ, Belgis *malle-pruymen* dictæ, meminit *Cluſius exoticor. libr.* 2. *cap.* 26. ſed quoniam arboris non addit deſcriptionem; affirmare nequeo, illane ſit noſtra hæc *Katou-Tsjeron.*



 TANI

Terminalia Bellerica L.

Pars 4. Tab. 10.



T A N I.

T A B. 10.


Rbor hæc Malabarensibus *Tani*, Brachmanis *Gottinga*, Lusitanis *Biborala*, Belgis *Heylpeeren* nuncupatur: Estque procera, caudice crasso, ramis glabris, viridi-cinereis, hinc inde in orbem diffusis donato; Lignum ex albo flavescens, cortice crasso, glabro, cinereo, intus croceo tectum, cujus matrix dura, è rufo striata.

Radix albicans furvo cortice cincta, inodora, insipida, nec non fibris suis longè latéque per terram diffusa.

Folia circa ramulos extremos rotundis, viridi-nitentibus, ac oblongis petiolis plura simul juncta proveniunt, oblongo-rotunda, acuminata, densa, glabra, longitudine spithamam, latitudine palmum facilè superantia, supernè colore viridi-fusco splendentia, infernè viridi dilutiore; costa media crassa, & in adversa parte altè extuberans, è qua nervuli aliquot transversi superiora versus excurrunt: odor nullus, sapor sylvestris.

Flores itidem extremis surculis inter folia proveniunt, caulibus nimirum spithamam longis, quibus racematim adhærent, exigui, suaveolentes, insipidi, quinque oblongo-teretibus, viridi-albicantibus foliolis vix apertis constantes, adeo ut gemmis non minus, quam floribus assimilari queant; decem ex albo flavescentibus staminulis, apicibus ornatis, mediam floris cavitatem occupantibus.

Flosculis pari fertilitate *fructus* succedunt, pyriformes, prunis majoribus magnitudine haud absimiles, cortice tenui undique carni adhærente, glabro, nitente, ac rubicundo cincti; carne viridi, succulentâ, insipidâ, odorisque sylvestris, intus referti; intra quam *ossiculum* locatur

oblongo-rotundum, *Nucleum* continens candidum, grati ſaporis, ac nuci avellanæ haud abſimilem.

Creſcit locis arenoſis in Padinjate, Bardelle, aliiſque provinciis Malabar; ſemper frondet, floret, fructuſque fert, atque non raro duo frugifera manet ſecula.

Lignum porro arboris operi fabrili accommodum, ex eoque ingentes ciſtæ, & naves fabricantur: nec non ex hujusmodi arboribus excavatis naviculas Indi conficiunt, quas *Mansjous* appellant. Fructuum nuclei in eduliis ſunt: iique in pulverem redacti Endemiæ illi Cachexiæ (quæ *Pitao* Luſitanis appellatur) medentur, atque oculorum vitia emendant: adhæc expreſſum ex iisdem oleum capillos firmat capiti inunctum. Arboris cortex Antidotum habetur noxio veneno, quod ex arbore *Katou-Tsjerou* ſeu *Rana-bibo*, ejusve fructibus quocunque modo contrahitur; isque minutiſſimè contritus, addito aſæ fœtidæ pauxillo, tunc exhibetur. Inſuper corticis hujus & radicis ſuccus cum oryza & lacte decoctus & exhibitus, colicum dolorem ſanat.

Tab. 10.

Similis planè arbor deſcribitur in prima à Batavis in orientalem Indiam inſtituta navigatione eaque à *Caſparo Bauhino pinac. libr.* 11. *ſect.* 6. vocatur *Fructus in inſula S. Mariæ, pyra majora referens, intus mucculentum:* at quanquam ipſi magna cum *Tani* ſit ſimilitudo, non tamen affirmare audeo, eandem plane eſſe arborem.



TSJEM-


Tsjem-tani. lat.
mal.
Arab.

TSJEM-TANI.

Tab. 11.



Sjem-Tani Malabarenſibus, *Tanis-Morij* Brachmanis, Arbor eſt vaſtæ magnitudinis, caudice craſſo, cortice craſſo, ſcabro, cinereo, intus rubicundo, odoris aromatici, ſaporis acidiuſculi obducto, nec non plurimis donato ramulis viridibus, ac non raró hirſutis; Lignum albicans, matrice virideſcente.

Radix rubicunda, cortice tenui flaveſcente tecta, amara, odorata.

Folia ſine ordine rotundis ac aſperis petiolis circa ramulos proveniunt, lata, ex rotundo in acumen deſinentia, in ambitu ſerrata & horrentia, ſupernâ parte atro-viridia, infernâ ſubviridia, tactu nonnihil aſpera, hirſuta, ſapore ſubamaro & adſtringente, odore aromatico; è coſta media craſſa nervi aliquot tranſverſi, & ex his demum plures alii nervuli ſuperiora verſus excurrunt.

Flores inter folioſos ſurculos caulibus ſpithamam longis proveniunt, quibus racematim petiolis lanuginoſis adhærent, tribus oblongo-rotundis, candidis, mollibus, ac exteriora verſus reflexis foliolis conſtantes, atque oblongo-rotundo, albicanti, hirſuto, & pediculo viridi tricuspide ſubnixo calyci inhærentes; tribus flaveſcentibus ſtaminibus, nigricantibus apicibus ornatis, mediam floris cavitatem & umbilicum occupantibus, inter quæ ſtylus prodit itidem flaveſcens: odor nullus, ſapor amarus.

Fructus hujus arboris, haud ſecus ac præcedentis, pyriformes ſunt, tribus angulis craſſioribus ſulcati, olivarum magnitudine æmuli, exiguo in vertice præditi umbilico, cortice viridi, aſpero, & exiguis ſpinulis obſito cincti, carneque denſa, furvâ, odoratâ, amarâ intus referti; intra

quam *oſſiculum* hæret oblongo-rotundum, triquetrum, tres includens *Nucleos* candidos, amaros, ſimiliter triquetros, ex ligno membranaceis quibusdam viridi-albicantibus diſſepimentis ab invicem ſejunctos.

Provenit locis ſylveſtribus, petroſis, arenoſis, montanis in Parakaroo, aliisque provinciis Malabar; perpetuò frondet, ſemel in anno floret, fructuſque fert, Decembri viz. & Januario menſibus, diuque frugifera manet.

Cæterum hujus arboris cortex calefacit, viſcidos ac pituitoſos humores incidit, attenuat, debilitata viſcera roborat, nec non aquas hydropicorum ducit. Idem cortex cum fructus pulpa in pulverem redactus & exhibitus, febrem tertianam intermittentem tollit. Fructuum nuclei comeſti alvum laxant.

Tab. II.

Alteram hanc *Toni* ſpeciem nullus adhucdum exhibuit Botanicus, eaque nullam cum præcedente habet ſimilitudinem.



MAL-


Cátu Tsjéru Naregam *lat.*

കാട്ടുചെറുനാരകം. *Mal.*

Rána-nimba *bra.*

रान नी बाङ्गा

قحاطو نَغرِ هُغافمْ *Arab.*



MAL-NAREGAM,

seu

Malus limonia pumila sylvestris Zeylanica D^n. Hermani.

Tab. 12.



Rbor quæ Malabarensibus *Mal-Naregãm* seu *Nara-maram*, Brachmanis *Nani* & *Rana-nimba*, Lusitanis *Limaodo Mato*, Belgis *wilde Citroenen* dicitur, mediæ est magnitudinis, cortice glabro, cinereo, odoris saporisque aromatici & acris obducta, ligno albicanti, denso, præduro arctissimè unito; ramis foliaceis è caudice erumpentibus, spinis rigidis, è fusco flavescentibus obsitis.

Radix albicans subrubro cortice tecta, odoris aromatici, saporis amari.

Folia juxta spinas circa ramulos proveniunt, oblongo-rotunda, acuminata, densa, glabra, cum formâ, tum colore, odore, & sapore limonum pusillorum foliis haud absimilia.

Flores plures simul juncti extremis surculis inhærent, exigui, candidi, odorati, quatuor oblongo-rotundis, acuminatis, crassis, ac mollibus foliolis constantes, staminulis multis, calycis in modum junctis, medium obsidentibus, inter quæ stylus prodit crassus, albicans, superius planus ac rubescens.

Flosculis succedunt *Fructus* ovales, cum figurâ, tum magnitudine olivis haud absimiles, at in vertice exiguâ spinulâ dotati, colore primum viridi, in maturitate verò aureo seu citrino uti limonia; cortice ambiuntur tenui, gustu amaro, atque in mediis fructibus cavitas quædam est, succo aceto-

cetoſo ac ſubamaro, ſuis membranulis contento plena; cui incluſus eſt *Nucleus* oblongo-rotundus, acuminatus, albicans rufâ obductus pelliculâ, odore ſaporeque limonum folia referens.

Naſcitur locis arenoſis ac montanis ubique in Malabar; Floret plerumque Junio, Julio, Auguſto, & Septembri menſibus, atque dein maturos profert fructus.

Cæterum decocta in oleo arboris hujus folia, ac capiti applicata cephalæam tollunt: eorundemque ſuccus præſtans habetur errhinum capiti purgando. Expreſſus è fructibus ſuccus Endemiæ illi Cachexiæ (*pitao*) medetur. E ſola denique radice pilulæ formantur antiſpasmodicæ.

TAB. 12.

Arboris hujus exſiccatum ramum cum floribus in Herbario vivo collocatum vidi à Clariſſimo Paulo Hermans, Medicinæ Botanices in Academia Lugduno-Batava Profeſſore, cum in Zeylan inſula viveret; ipſique haud immeritò dicitur *Malus limonia pumila ſylveſtris Zeylanica.*



KATOU-


Cátu-Náregam. lat.
mal.

KATOU-NAREGAM.

Tab. 13.



Rbor hæc Malabarenſibus *Katou-Naregam*, hoc eſt *Naregam ſylveſtris*, Brachmanis *Ranainimba* & *Coduvo-nani*, Luſitanis *Limao Coroado*, Belgis *wilde limoenen* dicitur: Eſtque procera, caudice craſſo, candido, multiſque ramis donato; qui cortice cinereo odorato obducti, ac fungosâ intus medullâ referti, nec non ſpinis fuſcis, nitentibns & aculeatis inſuper muniti ſunt.

Radix flaveſcens, fuſco cortice tecta; amara, odorata.

Folia perſimilia ſunt foliis *Mal-Naregam*, præterquam quod nervuli è coſta media exeuntes craſſiores ſint, ac infernè magis emineant; quo fit, ut in plicas quaſi & rugas ea criſpentur.

Flores plures ſimul juncti extremis ſurculis proveniunt; haud ſecus ac in *Mal-Naregam* obſervatur; & calyci viridi, in quinque lacinias acuminatas ſecto, inhærent, viridi-flaveſcentes, odorati, ſubamari, quinqne ſubrotundis foliolis conſtantes, ſtaminulis candidis octo aut decem medium obſidentibus; inter quæ ſtylus prodit exiguus, itidem albicans, ipſius fructus rudimentum.

Fructus limones puſilli ſunt, tenuioribus ſulcis ſtriati, ac in vertice calyce florum ſurrecto coronati, atro-virides primum albis interſtincti punctulis, dein aurei ſeu citrini; cortice limonum cortici haud abſimili cincti, carneque candidâ, acidi ac vinoſi ſaporis, intus referti; intra quam numeroſa continentur *ſemina* oblongo-rotunda, plana; candida & nitentia, duplici ordine locata, ac membraneis quibuſdam pelliculis ſeu parietibus integerrimis ſejuncta, ita ut ſingula in ſingulis latitent cellulis.

Creſcit frequenter locis arenoſis & petroſis, circa Para-

karó & Kaymaal provincias Malabar; ſemel in anno maturos fert fructus, menſibus viz. Decembri & Januario.


Porro arboris hujus foliorum ſuccus egregium quoque capiti expurgando habetur errhinum. Idem ſuccus cum pipere longo, zinzibere, & ſaccharo exhibitus tuſſim ſedat, cæteroſque pulmonis affectus è cauſa frigida natos potenter ſanat. Inſuper è foliis hiſce in aqua coctis Balneum fit, quod laſſitudini, nec non artuum doloribus tollendis mirificè conducit.

Tab. 13.

Meritò arbor hæc Limoniæ genus quoque habetur.



TSJE-


Tsjéru-Catu-Náregam. lat.
mal.
Naringi. bra.
नारिंगी
Arab.

TSJEROU-KATOU-NAREGAM.

Tab. 14.



ARbuſculæ quæ *Tsjeria-Katou-Naregam* Malabarenſibus, *Citt-rana-nimba* Brachmanis, *Limoins da folha Cruzado* Luſitanis, *Claver-appelkens* Belgis nuncupatur, præcedentis ſpecies eſt minor, atque humilior, ad ſex ſeptemve pedum altitudinem circiter aſſurgens, caudice tenui, ramulis ſpinoſis, cinereo cortice obductis, itidem donato; Lignum flaveſcens, prædurum, inodorum, inſipidum

Radix fibrata, flaveſcens, ſaporis amari, odoris aromatici.

Folia oblongo-rotunda, in ambitu leviter crenata, odorata, aromatica, petiolis alatis ſeu foliofis circa ramulos geminata proveniunt, duobus viz. tribusve paribus, cum ſimplici plerumque folio in extremitate; adeo ut petiolos facilè quis folia judicaret, & tria extrema folia ſimul juncta vulgare pratenſe trifolium non malè repræſentent.

Flores brevibus petiolis ad ſpinarum exortum ramulis proveniunt, & calyci viridi in quinque lacinias acuminatas ſecto inſident, candidi, ſuaveolentes, amari, quinque oblongo-teretibus, ac in orbem expanſis foliolis conſtantes, ſeptem octove in medio albicantibus ac lanuginoſis ſtaminulis, flaveſcentibus apicibus dotatis, præditi; inter quæ ſtylus emergit itidem albicans capitello flaveſcente.

Fructus quoque puſilli limones ſunt, rotundi, magnitudine uvarum æmuli, virides primum albis interſtincti punctulis, dein aurei ſeu citrini; cortice ambiuntur limonum cortici haud abſimili, atque in mediis fructibus

cavitas quædam eſt ſucco acetoſo, ſubamaro ac aromatico, ſuis membranulis contento plena, cui immixta ſunt tria oblongo-rotunda, acuminata, & ex albo flaveſcentia *ſemina*, membranaceis pelliculis a ſe invicem diſtincta.

Provehit locis montanis ubique in Malabar, præſertim circa Candenate; ſemper floret, fructusque fert.

Cæterum arboris hujus folia præſentaneum habentur curandæ epilepſiæ remedium. Radix alvum movet; ſudores expellit, nec non cruciatibus colicis, & Cardialgiæ medetur. Fructus ſiccati ſtomachum roborant, ac alimentorum in eo fermentationem læſam reſtituunt; adhæc aëri ex variolis, febribusque malignis & peſtilentialibus contagioſo potenter reſiſtunt, atque variis venenis præſtantiſſimum cenſentur antidotum; quamobrem magni æſtimantur, & ab Arabibus, aliisve mercatoribus avidè expetuntur.

Tab. 14.

Non florum, ſed fructus & ſeminis ratione ad Limonum genus arbor hæc referri poteſt.



PAENOE

Valiria indica.



PAENOE.

Tab. 15.



Rbor quæ Malabarensibus *Paënoe*, Brachmanis *Doëpoe*, Lusitanis *Arvore Ensenza*, Belgis *Hars-boom* nominatur, præcelsa est, atque speciosa plurimum, sexaginta circiter pedes alta, caudice sedecim pedes plus minus crasso, multisque ramis longè latéque diffusis, ac cortice crasso, cinereo, intus rufo obductis, donato; qui vulneratus lachrymam fundit resinosam, candidam, pellucidam, odoratam, acrem ac amaram, quæ radiis solaribus tandem flavescit, spissescit, & vitri instar fragilis evadit: Lignum densum, ex albo flavescens.

Radix nigricans, resinosa, amara, graveolens, nec non fibris suis longè latéque per terram diffusa.

Folia sine ordine crassis, rotundis, ac cinereis petiolis ramulis adhærent oblongo-rotunda, acuminata, crassa, densa, glabra, splendentia, longitudine spithamam, latitudine palmum superantia, supernè viridia, infernè è viridi flavescentia; nervis aliquot è costa media crassa, & in adversa parte altè extuberante, in latera excurrentibus: sapor amarus ac resinosus, odor nullus.

Flores circa ramulos teneriores candidis petiolis glomeratim, non sparsim producuntur, sensimque por-

rectis columellis umbellæ ſpecie panduntur: conſtant è quinis oblongo-teretibus, craſſis, candidis foliolis, atque calyci albicanti in quinque lacinias acuminatas ſecto inhærent, numeroſis ſtaminulis flaveſcentibus medium obſidentibus; inter quæ ſtylus prodit albicans, ſurrectus, apice rotundo ac flaveſcente: odor ſuavis ac liliaceus, ſapor amarus.

Fructus nucum juglandium viridium magnitudine æmuli, petiolis craſſis, longis ac rotundis proveniunt, oblongo-rotundi, at ſuperius latiores, inferius anguſtiores & calyce florum verſus caulem reflexo ornati, quos tegit pulvinatus cortex coriaceus, atro-purpureus, ac tribus angulis ſulcatus, qui fructu maturo dehiſcit planè, & trifariam finditur, ac *nucleum* exhibet majorem, oblongo-rotundum, candidum rufa cuticulâ tectum, uti in nuce avellana cernitur, ſaporis ſubamari ac ſubadſtringentis: hic autem pulvinatus calyx, qui fructum ambit levibus inciſuris vulneratus, ſimilem fundit lachrymam reſinoſam uti inciſus cortex, quæ aëris attactu protinus ſacchari candi inſtar ſpiſſeſcit, ac dein rufeſcit.

Creſcit ubique in Malabar; perpetuo frondet, ſingulis annis maturos profert fructus, menſe viz. Aprili, & non rarò trecentos frugifera manet annos.

Cæterum ex arborum teneriorum truncis Mali navales fiunt: ex iiſque, cum provectiores ſint, excavatis naviculas majores (*mansjous*) Indi conficiunt, quarum nonnullæ ſexaginta aut plures homines vehere poſſunt; eæque ex arboris hujus ligno conſtructæ in aquis teredini haud facilè obnoxiæ ſunt.


Reſinam quam cortex, radix, fructus, aliæque arboris

boris partes fundunt, avidè mercatores expetunt; eaque cum oleo copiosiore vel parciore excocta picis liquidæ, vel duræ loco usurpatur: insuper Ethnicis in sacrificiis thuris loco adoletur. Ex foliis disci conficiunt gentiles, in iisque arboris hujus gummi seu resinam excipiunt, & servant.

Porro fructuum Nuclei contusi & cum aqua calida super porphyritem lævigati, & exhibiti ventriculum roborant, nauseam & vomitum tollunt, ventris cruciatus mitigant, Choleram sanant. Ex arboris resina cum alba, & sesami oleo eliquata præstans fit balsamum vulnerarium: Eademque resina pulverisata & exhibita virulentam gonorrhæam, aliaque venerea accidentia potenter sanat.

Tab. 15.

Arboris hujus Gummi-resina haud dubiè species est *Gummi Anime*, præsertim cum constet tum ex orientali, tum ex occidentali India varia resinarum huc adferri genera, quæ magnam habent similitudinem cum gummi Anime è nova Hispania, & pro eo venduntur; & certum est, non ex una arbore, sed è diversis earum generibus gummi hoc colligi. *Doctiss. Piso rerum natural. Brasilient. lib.* 4, *cap.* 9. arborem describit, *Jetaiba* indigenis dictam, cujus resina Brasiliensibus *Jetica-cica*, & Lusitanis *Gummi Anime* appellatur ob magnam cum vero gummi Anime è nova Hispania similitudinem. Similis arboris meminit *Recchus rerum Mexicanar. lib.* 3. *cap.* 5. nomine *Copalli Montana* seu *Tecopalli Quahuitl.* Adhæc è Zeylan Insula simile adfertur gummi; quapropter & hæc arbor non malè forsan eò referri potest.



NYALEL.


Milnea racemosa Roem.
Pars 4. Tab. 16.
Niálel. lat.
mal.
Rána-bóri. bra.
रानबाव
Arab.

N Y A L E L.

Tab. 16.



Rbor hæc Malabarensibus *Nyalel*, Brachmanis *Lassa*, Lusitanis *Maquinha*, Belgis *Werlingen* nuncupatur; Estque procera, quadraginta circiter pedes alta, caudice mediocriter crasso, cortice cinereo obducto, multisque ramis rufescentibus in orbem diffusis donato: Lignum albicans, inodorum, insipidum, matrice rubicunda.

Radix rufa, furvo cortice tecta.

Folia geminata ordine parallelo brevibus petiolis ramulis inhærent, oblongo-rotunda, acuminata, densa, glabra, colore atro-viridi supernè nitentia, infernè viridi dilutiore, insipida, inodora; costa media lignosa, viridi-albicans, rotunda, ac in adversa parte altè extuberans, è qua plurimi superiora versus exoriuntur nervuli, qui in se invicem arcuatim deferuntur.

Flores exigui, candidi, numerosi racematim circa extremos surculos proveniunt, & singuli calyci viridi in quinque lacinias secto inhærent, quinque tenuibus, lato-rotundis, ac in orbem expansis foliolis constantes, quinque staminulis albicantibus, apicibus flavescentibus falcatis ornatis, medium occupantibus; inter quæ stylus prodit surrectus itidem albicans, capitello flavescente: odor ingratus ac fœtidus; sapor nullus.

Flosculis succedunt *Fructus* globosi, numerosi racemis adhærentes uvarum in modum, quibus magnitudine haud absimiles sunt, cortice crasso, flavescente, intus candido & lanuginoso cincti, carneque ex albo cæruleâ, transparente, succulentâ, subacidi ac vinosi saporis, intus referti;

ti; intra quam duo continentur *Nuclei* oblongo-plano-rotundi, ſubvirides, ex albo-cæruleâ cuticulâ obducti, ſaporis è dulci adſtringentis, membranaceo diſſepimento ab invicem ſejuncti.

Provenit frequenter in Inſula Baypin, nec non in Caimaal, aliiſque Provinciis Malabar; perpetuò viret, quotannis bis maturos exhibet fructus, menſibus viz. Aprili & Octobri, manetque frugifera ſeptuaginta circiter annos.


Fructus vero in deliciis comeduntur. At nuclei cum zinzibere recenti contuſi, & addito ſaccharo exhibiti alvum movent. Ex fructuum immaturorum ſucco cum ſaccharo ſyrupus præparatur, tuſſi, aſthmati, aliiſque thoracis affectibus præprimis conveniens.

Tab. 16.

Arbor hæc magnam cum *Sambuco Indica Bontii* habet ſimilitudinem, ſed quoniam accurata ejus apud *Bontium* deſcriptio non habetur, an eò referri debeat, certius affirmare nequeo.



ANGO-


Alangium decapetalum Lam.
Pars 4. Tab. 17.
Angólam. lat.
mal.
Ancólam.
आंकालां bram.
Arab.
1

ANGOLAM.

Tab. 17.



Ngolam ſeu *Alangi* Malabarenſibus, *Angolam* Brachmanis, *Eſpinho ſancto* Luſitanis, *Keyſer-vreugde* Belgis, præcelſa eſt arbor atque ſpecioſa plurimum, altitudine centum; craſſitie vero duodecim pedum menſuram circiter æquans, multiſque ramis in orbem longè latéque diffuſis donata; qui cortice viridi obducti, ac ſpinis lignoſis, craſſis, longis, ac rigidis muniti ſunt: Lignum albicans, prædurum, cortice glabro, cinereo, albis interſtincto punctulis, ſaporis acri-amari, odoris aromatici, cinctum.

Radix fungoſa, rufa, flaveſcente cortice tecta, odorata, amara.

Folia brevibus petiolis circa ramorum ſpinas (quæ tandem in ramulos excreſcunt) proveniunt, oblongo-teretia, craſſa, mollia, glabra, ſupernè viridia, infernè viridi-fuſca, odorata, amara; nervis aliquot è coſta media albicante, & in adverſa parte altè extuberante, obliquè in latera excurrentibus.

Flos ad foliorum exortum itidem ſpinis provenit, plerumque unus; aliquando duo, aut plures, inſidetque calyci rotundo in decem lacinias ſecto, è decem teretibus, craſſis, denſis, ſubviridibus, intus candidis foliolis conſtans, quæ extrorſum reflexa apicibus circa caulem coëunt, prominentibus decem miniatis apicibus, quos pallida ſtamina ſuſtinent, quorum medium obtinet piſtellum ſtaminibus concolor; odor ſuavis; ſapor amarus.

Fructus globoſi, ceraſorum majorum magnitudine æmuli, exiguo in vertice umbilico præditi, cortice cincti

craſſo, purpuraſcente, qui maturo fructu ſpontè dehiſcit, carneque ſucculentâ, dulcis, gratique ſaporis, intus referti; intra quam duo, treſve atri, glabri, plano-rotundi, intus candidi continentur *Nuclei*. Hi autem fructus avidè expetuntur, & in deliciis comeduntur.

Creſcit locis petroſis; arenoſis, & montanis in Mangatti, aliisque Provinciis Malabar; perpetuò frondet, frugetque; ac diu ſuperſtes manet.

Cæterum arbor hæc varias ob cauſas Emblema Regiæ Majeſtatis Malabarenſibus habetur, quarum præcipua eſt, quod flores diademati Imperiali haud abſimiles, rigidis inhæreant ſpinis. Inſuper ſuccus ex arboris radice expreſſus, & exhibitus vermes necat, nec non bilioſos ac pituitoſos humores per alvum expurgat, & aquas hydropicorum ducit. Radicis pulvis exhibitus Antidotum habetur venenatis morſibus ſerpentum, aliorumque venenatorum animalium.



IDOU-

Scleropyrum Wallichianum ♀

Idú-mulli. lat.

ഇടുമുള്ളി mal.

بجوموللي Arab.



IDOU-MOULLI.

Tab. 18.



Dou-Moulli Malabarenſibus, *Elaticanto* Brachmanis, *Periera dos diabos* Luſitanis, *Dulle-boom* Belgis, Arbor eſt procera, ſeptuaginta circiter pedes alta, caudice craſſo, multiſque ramis longè latéque diffuſis donato; qui cortice cinereo, intus viridi obducti, nec non ſquammis numeroſis, rigidis, fuſcis, glabris, ac nitentibus ſpinis inſuper dotatis, undique ornati ſunt: Lignum albicans, fibroſum, denſum, cortice cinereo, intus rufo ac ſubviridi, ſaporis ſubamari tectum, cujus matrix rubicunda, prædura.

Radix albicans, rufo cortice cincta, ſaporis amari, odoris terreſtris.

Folia circa ramulos ſpinoſos brevibus ac rotundis petiolis proveniunt, oblongo-rotunda, acuminata, craſſa, denſa, glabra, ſupernè atro-viridia, infernè ſubviridia; nervis aliquot è coſta media rufeſcente, & in adverſa parte altè extuberante in latera excurrentibus: odor ſylveſtris, ſapor nullus.

Floſculi itidem circa ſpinoſos ramulos atro-rubentibus ac aſperis petiolis numeroſi proveniunt, purpurei, quinque oblongo-rotundis, acuminatis foliolis conſtantes, quinque in medio flaveſcentibus fibris, apicibus dotatis, præditi; inter quos ſimilis prominet ſtylus rubicundus, exiguus: ſapor ingratus, odor nullus.

Floſculis pari fertilitate ſuccedunt *Fructus* pyriformes, ſubvirides ab una parte, ab altera vero rubicundi, niten-

tes, exiguo in vertice umbilico coronati, carneque viridi, densâ, ſucculentâ, amarâ intus referti; intra quam oſſiculum hæret rubicundum, *Nucleum* includens candidum, guſtu primum avellanæ haud abſimilem, dein tamen ingratum relinquentem ſaporem.

Provenit locis ſylveſtribus & arenoſis in Paloerti, aliisque provinciis Malabar; quotannis ſemel, nonnunquam bis maturos fert fructus, Januario viz. & Martio menſibus, diuque ſuperſtes manet.

At vero ex arboris, ejuſque radicis cortice, nec non floribus, fructibus, nucleiſve, variis modis remedia præparantur ad Maniam, phrenitidem, ſimileſque affectus cephalicos. Adhæc è cortice in aqua communi decoctio fit, quæ icterum, hydropem, alioſque chronicos morbos potenter ſanat. Radicis cortex cum ſantalo rubro in pulverem redactus, ex eoque cum lacte muliebri cataplaſma confectum, ac inguinibus impoſitum bubonibus venereis medetur.



POERIN-


Sapindus laurifolius
Pars 4. Tab 19.
Púrinsji. lat.
mal.
Urinti
bra.
Arab.

POERINSII.

TAB. 19.



ARbor hæc Malabarenſibus *Poerinſij* & *Vercoepoelongi*, Brachmanis *Ourinti* & *Damitaſſi*, Luſitanis *Sabao dos Canarins*, Belgis *Seepnooten* nuncupatur: Eſtque procera, caudice admodum craſſo, multiſque ramis in orbem diffuſis donato; qui cortice atro-purpureo, intus viridi obducti, ac medullâ intus fungosâ & albicante referti ſunt: Lignum flaveſcens, prædurum, cortice phœniceo, intus rufo cinctum, inodorum, inſipidum.

Radix flaveſcens, albicante cortice tecta, nec non fibris ſuis longè latéque per terram diffuſa; ſapor ſubdulcis.

Folia bina & bina ſibi invicem oppoſita tenerioribus ſurculis proveniunt, oblongo-rotunda, acuminata, denſa, ſeptem uncias longitudine, tres quatuorve latitudine plus minus æquantia, atro-viridia, ſupernè ſplendentia, infernè nequaquam; nervis aliquot in adverſa parte extuberantibus è media coſta in latera excurrentibus: odor ſuavis, ſapor ſubdulcis.

Floſculi in racemum oblongum digeſti extremis ramulis conveniunt, ſtellati, ſambuci floribus formâ haud abſimiles, quinque tenuibus, oblongo-teretibus, è rufo viridibus, nitentibus, intus candidis ac lanuginoſis foliolis conſtantes, ſtaminulis aliquot albicantibus, aureis apicibus dotatis, mediam floſculi cavitatem & umbilicum occupantibus; inter quæ ſtylus prodit flaveſcens, exiguus, ipſius fructus rudimentum. At vero exiguæ horum gemmæ vix quatuor menſium ſpatio in floſculos ſeſe expandunt, ſuntque rotundæ ac virides, nec non calyci viridi in quina ſubrotunda foliola diviſo inhærent: odor nullus, ſapor ſubadſtringens.

Fructus conſimili modo racematim frequentes ſuccreſcunt,

ſcunt, oblongo-rotundi, duo plerumque, treſve arctiſſimè ſimul juncti, virides primum ac lanuginoſi, maturiores vero ſubflaveſcentes & rufi; at ſiccati duri, rugoſi, & fuſci. Teneriores autem hujuſmodi fructus carne intus albicante, molli, ac viſcoſa referti, quæ tandem mutatur in nucem rotundam & fuſcam, *Nucleum* intus continentem exiguum, candidum, durum, acrem, inodorum.

Creſcit variis in ſylvis Malabar; perpetuò viret, quotannis maturos exhibet fructus, atque à decimo ſationis anno ad centeſimum non rarò frugifera eſt.

Cæterum ex arboris hujus ligno citharæ conficiuntur, & pectines. Fructus pannis lavandis & abſtergendis inſerviunt: ii namque in aqua triti inſtar ſaponis albicantem eam reddunt, lixivialem, & ſpumoſam, qualis ad pannos lavandos & abſtergendos requiritur. Adhæc cum ſpumoſa & lixiviali hac aqua Aurifabri vaſa argentea decoquere ſolent, & depurare. Porro ejuſdem ſaponariæ aquæ ſpuma temporibus illita cephalalgiam, nec non febrem tollere dicitur. Fructuum in aqua communi infuſio aut decoctio ſpumeſcens, ſi exhibeatur, colicos cruciatus mitigat; nec non variis modis ad alios affectus intrinſecus & extrinſecus uſurpatur. E foliis in aqua communi coctis Balneum fit antiarthriticum: Ex iis pariter & recente zinzibere, ac cumini ſemine in aqua communi decoctio fit, ventris tormina ſedans, flatuſque diſcutiens. Radix cum oryzæ infuſo trita, & exhibita paralyſi, nec non ſævis articulorum doloribus medetur.

Tab. 19.

Fructus quibus ſaporis loco Indi utuntur, varii ſunt, ac diverſi. *Cluſius Exoticor. lib.* 2. *cap.* 16. ſimilem fructum deſcribit, iſque à *Nicolao Monardo libr. de Medicam. ſimpl. ex Occidentali India delatis cap.* 65. vocatur *Sphærula ſaponaria.* Hujus quoque *Oviedus lib.* 9. meminit, ubi refert arboris folia Filicis foliis eſſe ſimilia: quod tamen falſum eſſe *αὐτοψία* me docuit. Etenim Anno 1660 è Barbados Inſulis ſaponarias quaſdam accepi ſphærulas, quibus ſatis tres prodibant arbuſculæ, per quadriennium ſuperſtites: earum cortex cinereus, folia phyllitis foliis ſimilia erant. *Rochefortius hiſtoriæ ſuæ part.* 5. *cap.* 7. duas ſphærulæ ſaponariæ proponit ſpecies, quarum alteram in horto meo per quadriennium colui: Hoc verò, quod Hortus Malabaricus proponit, genus nemo Botanicorum adhucdum deſcripſit.

Lagerstroemia Reginae

Adamboe
Cadalì-púa.
കടലിപ്പൂവ mal.
Arab.



Lagerströmia Reginae

Adamboe
Cadali-pua.
കടെലിപ്പൂവ *mal.*
قحاطحهلي پوع *Arab.*



ADAMBOE.

Tab. 20. 21.


Rbor hæc Malabarensibus *Adamboe* & *Cadelipoea*, Brachmanis *Sotulari*, Lusitanis *Catupinaca da serra,*, Belgis *Baak-roosen* appellatur; estque humilior, septem circiter pedes alta, caudice albicante, variis ramis in orbem diffusis donato, qui cortice scabro, primum viridi, dein furvo obducti sunt.

Radix albicans, cinereo cortice tecta, odoris gravis ac sylvestris, saporis unctuosi.

Folia oblongo-rotunda, crassa, densa, sine ordine brevibus ac nodosis petiolis circa teneriores ramulos proveniunt, longitudine spithamam, latitudine palmum superantia, supernè atro-viridia, infernè è viridi rufescentia, tactu nonnihil aspera, à media illa crassa, albicante, & in adversa parte altè extuberante costa, folium per longitudinem mediam secante, plures aliæ minores superiora versus oriuntur costulæ, quæ arcuatim in se invicem deferuntur: odor sylvestris, sapor subadstringens.

Flores elegantes, purpurei, nitentes, rosis haud absimiles, rotundis & hirsutis petiolis numerosi circa ramulos proveniunt, ac sex septemve mollibus, subrotundis, expansis, at nonnihil crispis constant foliis; nec non calyci lato, profundo, crasso, rugoso, subviridi, in sex septémve lacinias acuminatas stellæ in modum secto, inhærent, qui plurima insuper emittit stamina surrecta, infernè albicantia, supernè rubicunda, flavescentibus, nitentibus, ac planis apicibus ornata; inter quæ stylus prodit acuminatus, infernè rubicundus, supernè viridis: sapor subsalsus & subadstringens, odor nullus.

Fructus floribus succedunt inodori, insipidi, rotundi,

viridi-fuſci, nitentes in vertice oblongo ſtylo dotati; ad baſin vero calyce plano, craſſo, ac viridi excepti, qui cuſpides ſuos latè extendens, ac exteriora verſus reflectens, ſtellam quodammodo refert; intus porro carne albicante referti, intra quam numeroſa latitant *ſemina* plana, malvæ ſemini haud abſimilia, ſex ſeptemve loculamentis, membranaceis quibuſdam pelliculis à ſe invicem ſejunctis, concluſa.

Creſcit frequenter locis arenoſis & petroſis in Mangatti & Cranganoor, præſertim circa fluminum ripas; Julio & Auguſto menſibus floret, fructusque fert Novembri & Decembri: viret tamen perpetuò, ac diu ſuperſtes manet.

Cæterum ex arboris radice in aqua decocta Gargarisma conficitur, quod palati orisque ulcusculis, nec non quibuscunque faucium affectibus medetur. Ex eadem radice decocta, & dein contuſa cataplasma fit, quod tumoribus impoſitum potenter eos emollit ac maturat. Ex arboris cortice, foliis, ac floribus cum aqua communi decoctio paratur, quæ pota hepatis, lienis, aliorumque viſcerum obſtructiones aperit, & aquas hydropicorum per alvum ac urinam potenter ducit. Semen haud ſecus ac coriandri ſemen capiti infeſtum eſt, ac vertiginem, ebrietatem, ſimileſque affectus producit.




Adamboe. lat.
mal.
Arab.

KATOU-ADAMBOE.

TAB. 22.



Rbor quæ *Katou-adamboe* & *Katou-Cadeli-poea* Malabarenſibus, *Dava-ſotulari* Brachmanis, *Catupinaca-Brava* Luſitanis, *wilde Baak-rooſen* Belgis dicitur, præcedentis ſpecies ſylveſtris eſt, & major: altius namque excreſcit. Caudex alioquin rami, radix, folia, aliæque hujus arboris partes planè cum præcedente Adamboe conveniunt, præterquam quod hujus folia & rami lanuginoſi ſint, ac hirſuti.

Flores præcedentis *Adamboe*, ut & *Paretti*, part. 1. Tab. 30. deſcriptæ, floribus quoque ſimiles; mediam tamen floris cavitatem & umbilicum quinque tantnm ſtamina ſurrecta, candida, rubicundis apicibus ornata, occupant; inter quæ ſtylus prodit albicans, cacumine bifido.

Fructus ſimiliter fructuum alterius arboris æmuli, niſi quod pilis tenuiſſimis ſubaſperi.

Naſcitur locis montanis in Mala & Poiga, provinciis Malabar; Maijo, Junio, & Julio menſibus floret, Decembri vero maturos fert fructus; viret autem perpetuò.

Cæterum ex foliis hiſce contuſis cum Nucis Indicæ aqua Emplaſtrum conficitur, quod Bubonibus venereis, aliisque glandularum tumoribus impoſitum medetur.

Tab. 20. 21. 22.

Adamboe meritò ad *Pariti* (parte prima & ſecunda deſcriptæ) genera referri poteſt, quippe utræque ſunt ſpecies *Malvæ* ſeu *Altheæ arboreæ*, uti ex nota generica, floribus nimirum, fructibus, ſeminibusve manifeſtum fit; partes tamen accidentales, folia viz. inter ſeſe non conveniunt.


Karin-kára. lat.
mal.
قَحَادِينْ قَحَارِعْ Arab.

KARIN-KARA.

Tab. 23.



Arin-Kara Malabarensibus, *Tamagali* Brachmanis, *Narilha*, Lusitanis, *Haan-ballen* Belgis, Arbor est mediocris magnitudinis, caudice mediocriter crasso, candido, cortice furvo, scabro, inodoro ac amaro obducto, nec non ramis viridibus in orbem diffusis donato.

Radix rufa, albicante cortice tecta.

Folia sine ordine brevibus, rotundis, ac sulcatis petiolis circa ramulos proveniunt, oblongo-rotunda, acuminata, densa, glabra, colore atro-viridi supernè nitentia, infernè viridi-flavescente; nervis aliquot è costa media albicante, ac in adversa parte prominente, in latera oblique excurrentibus: sapor amarus ac austerus.

Flores albicantes, magnitudine Paenoe floribus, formâ verò Genistæ aut Laburni floribus similes, aut in ramulorum extremis, aut è lateribus in tenui ligula dependent, atque calyci viridi, in quinque acuminata, magnitudine inæqualia foliola secto, inhærent, quinque oblongo-teretibus, crassis, candidis foliolis constantes, quorum supremo reliquis multo majore, lato, sursum reflexo, at inferius aperto hiatu dehiscente, è quo numerosa prodeunt staminula candida, apicibus ornata: odor suavis, sapor amarus.

Fructus nucibus juglandibus magnitudine similes, rotundi sunt, globosi, ac duabus protuberantiis ad verticem striati, viridi-flavescente cortice cincti, carneque

intus albicante, primum densâ, dein molli, pultaceâ, ac ſubdulci referti; intra quam Nucleus locatur rotundus, bifariam aut trifariam diviſus, ſubviridis rufâ pelliculâ tectus fabarum, ſapore æmulus.

Creſcit in locis ſylveſtribus Malabar; perpetuò viret, non raro bis in anno maturos fert fructus, menſibus viz. Aprili & Octobri, at non diu ſuperſtes manet.

In Medicina nullius eſt uſus.



PERIN-

Eläocarpus Perim kara



PERIN-KARA.

Tab. 24.



Erin-kara Malabarenſibus, *Gali-douſa* Brachmanis, *Azeitones do Malavar* Luſitanis, *wilde Olyven* Belgis, Arbor eſt vaſtæ magnitudinis, caudice craſſo, cortice craſſo, cinereo, intus purpureo, cincto, nec non ramulis viridi-fuſcis, plurimiſque virgulis pullulantibus donato; lignum albicans, denſum, fibroſum.

Radix itidem albicans, rubicundo obducta cortice, qui cuticula nigricante inſuper tectus eſt; ſapor ſubamarus, odor terreſtris.

Folia quæ primo exortu rufa ac plicata circa ramulos teneriores proveniunt, ubi excreverunt oblongo-rotunda ſunt, acuminata, in ambitu crenata, denſa, glabra, atro-viridia, ſplendentia; è coſta media craſſa, & in adverſa parte altè extuberante plures aliæ ſuperiora verſus oriuntur coſtulæ, quæ in ſe invicem arcuatim deferuntur: ſapor acidus primum, dein amarus.

Flores ſuaveolentes, candidi, extremis ſurculis inter folia proveniunt, caulibus nimirum ſpithamam longis, quibus brevibus petiolis adhærent, quinque oblongis ac in plurima tenuia filamenta, comæ inſtar, circa extremitates diviſis foliolis conſtantes, atque calyci viridi in quinque lacinias acuminatas ſecto inhærentes; rufis aliquot ſtaminulis erectis mediam floris cavitatem occupantibus, inter quæ ſtylus prominet viridi-albicans, cujus baſis globulus exiguus, croceus.

Fructus pari fertilitate floribus ſuccedunt, cum formâ, tum ſubſtantiâ & magnitudine olivis majoribus ſimiles, ſimilem quoque continentes nucleum: Maturi cœruleo-

leo-purpurei, acido-dulces, gratique ſaporis; immaturi vero flaveſcentes, auſteri, ſubamari.

Provenit in Mangatti; aliiſque Provinciis Malabar; quotannis bis floret, fructuſque fert, Martio viz. & Octobri menſibus, diuque ſuperſtes manet.

Cæterum fructus hi in deliciis comeduntur; nec non ſaccharo condiuntur, ac uti olivæ in muria & aceto ſervantur pro Achaar; iique cum cibis inter prandendum & cœnandum comeſti ventriculum roborant, ac alimentorum in eo fermentationem potenter juvant.

Tab. 23. 24.

Quanquam ambæ hæ arbores *Karæ* nomine appellari ſoleant, diverſæ tamen ſunt ſpecies: quarum alteri, viz. *Perin-Karæ* ab olivis nomen perperam impoſuerunt Luſitani & Belgæ, ob fructuum cum olivis ſimilitudinem; cum pluribus hæc arbor à vera diſtinguatur *olea*.



M A-

Mimusops Manilkara.

Manil-kára. lat.

മണിൽകാര *mal.*

Vanvalli. bra.

ववली

مَغْنِيْن قَحَارْعْ *Arab.*



MANYL-KARA.

TAB. 25.


Anyl-kara Malabarensibus, *Manil-gale* Brachmanis, *Fruita Manilha* Lusitanis, *Loe-bessen* of *Chineesche pruymen* Belgis, Arbor est procera, caudice crasso, multisque ramis longè latéque diffusis donato; qui cortice atro-viridi obducti, ubi inciduntur, liquorem exsudant unctuosum, insipidum, inodorum: Lignum cinereum, cortice obductum denso, scabro, fusco, intus rufo.

Radix flavescens, saporis acris, odoris sylvestris.

Folia crassis, rotundis, ac viridibus petiolis circa extremos ramulos numerosa proveniunt, oblongo-rotunda, atro-viridia, crassa, densa, glabra, splendentia; a medio illo, crasso, rotundo, viridi-flavescente, ac in adversa parte altè extuberante nervo, folium per longitudinem medium secante, plures alii minores, tenuioresque superiora versus exoriuntur nervuli, qui in se invicem arcuatim deferuntur. Manibus vero si confricentur hæc folia viscidum, lacteum, ac acrem fundunt liquorem, quo mediante eadem teneriora arctè complicata sunt.

Flores magnitudine *Tiliæ* floribus haud absimiles, itidem circa extremos ramulos inter folia rotundis, lanuginosis, ac purpureis petiolis glomeratim, non sparsim producuntur, sensimque porrectis columellis umbellæ specie panduntur: triplici constant ordine foliorum acuminatorum ac ruforum, quorum singuli ordines sex continent foliola, ac medius planè erectus est; inhærentque calyci crasso, rufo, ac lanuginoso, in sex lacinias acuminatas secto; sex candidis staminibus, rufis apicibus dotatis, mediam floris cavitatem & umbilicum occupantibus, inter quæ stylus prodit, ipsius fructus rudimentum: odor suavis ac melleus, sapor nullus.

Fructus cum formâ, tum magnitudine olivis ſimiles; immaturi virides, nitentes, ſuccoque viſcido ac lacteo referti; maturiores verò purpurei, intuſque rufâ, ſucculentâ, ac acido-dulci carne referti; intra quam bina (rarius unum) locantur oſſicula oblonga, glabra, rufa, nitentia, *Nucleum* continentia album, ac amariuſculum.

Arbor hæc nullibi, niſi ſobole aut ſeminibus in hortis ſata provenit, nec Regio Malabar natale ejus ſolum conſtituit; ſed è China, Manilhas Inſulis, aliiſque longinquis Regionibus prius in eam allata fuit, quapropter haud perperam Malabarenſibus, *Manyl-kara*, quaſi *Kara ex Manilhas* Inſulis appellatur. Quotannis maturos fert fructus, Auguſto viz. & Septembri menſibus, ſemper viret, diuque frugifera manet.

Fructus autem maturi inter Bellaria comeduntur, iique appetitum augent, ac alimentorum in ventriculo fermentationem non parum juvant. Ex arboris foliis cum radice curcuma, & zinziberis foliis coctis & contuſis, cataplaſma conficitur, quod tumoribus quibuſcunque impoſitum potenter eos maturat. Ex iiſdem foliis in ſeſami oleo coctis, addito cortice hujus arboris pulveriſato, litus præparatur, qui affectui paralytico Endemio, Indis *Beriberi* dicto, ſanando ſummopere conducit.

Tab. 25.

Caſparus Bauhinus pinacis lib. 11. *ſect.* 6. arboris hujus meminiſſe videtur, nomine *Pruno ſimilis fructu Chinenſis*. Enimvero ad pruniferas arbores merito refertur *Manyl-kara*, & noſtratibus apud Indos viventibus *Prunus Chinenſis* appellari ſolet. Etiam *in Itinerario Cornelii Matelief* Anni 1607. mentio fit pruni Chinenſis, *Lechyas* dictæ, at perfecta arboris ipſius non additur deſcriptio.



KARA-

Alangium hexapetalum Lam

Kara angolam. lat.

mal.

Arab.



KARA-ANGOLAM.

Tab. 26.



Rbor hæc Malabarensibus *Kara - angolam*, Brachmanis *Namidou*, Lusitanis *e spinho Santo Bravo*; Belgis *wild Keysers-vreught* nuncupatur; Estque altera *Angolam* species, procera itidem, altitudine quadraginta, crassitie verò sex pedum mensuram circiter æquans, multisque ramis subcinereis ac viridibus, in orbem longè latéque diffusis, donata; lignum albicans, densum, cinereo cortice obductum, cujus matrix purpurea.

Radix crassa, densa, flavescens, furvo cortice tecta; nec non profundè terræ inhærens, fibrisque suis latè per eam diffusa; sapor acris & amarus, odor gravis.

Folia brevibus ramulis (qui in prima hujus arboris specie perfectæ sunt spinæ) inhærent, oblongo-teretia, glabra, mollia, supernè viridia, infernè subviridia, nervis aliquot è media costa in latera excurrentibus; sapor acris & amarus, odor nullus.

Flores brevibus ac viridi-fuscis petiolis circa eosdem cum foliis ramulos proveniunt, viridique ac profundo calyci insident, è sex teretibus, crassis, densis, acuminatis, candidis foliolis constantes, quæ (haud secus ac in præcedentis speciei floribus cernere licet) extrorsum reflexa apicibus circa caulem coëunt; decem aut duodecim candidis & acuminatis staminulis mediam floris cavitatem occupantibus, inter quæ stylus prodit albicans, apice ornatus oblongo-rotundo; odor suavis, sapor amarus.

Floribus succedunt *Fructus* globosi, pomorum minorum magnitudine æmuli, exiguo in vertice præditi umbili-


bilico, corticecraſſo, molli, tomentoſo, purpureo, intuſque albicante cincti, nec non carne rubicundâ, ſucculentâ, viſcidâ, tenaci, acidique ſaporis, intus referti; intra quam oſſiculum locatur oblongo-rotundum, rubicundum, *Nucleum* includens candidum, amaro-dulcem.

Naſcitur locis petroſis, arenoſis, & montanis in Kandenate, aliisque provinciis Malabar; ſemper frondet, floret, frugetque, ac diu ſuperſtes manet.


Cæterum ex arboris foliis cum oleo coctis unguentum conficitur vulnerarium. Radix catarctica eſt, humoreſque ſeroſos ac pituitoſos per alvum educit. Fructus autem rarò comeduntur, quoniam impensè ſanguinem calefaciunt.

Tab. 26.

Arbor hæc ſpecies eſt *Angolam* Tab. 17 deſcriptæ, atque ideo malè huc relata eſt.



THEKA.


Tectona grandis
Pars 4. Tab. 27.
Tekka. lat.
തെക്ക mal.
Saiko. bra.
Arab.

T H E K A.

Tab. 27.

*Heka* Malabarensibus, *Sailo* Brachmanis, *Jati* Malaccis, *Teka* Lusitanis & Belgis, Arbor est præcelsa, atque speciosa plurimum, caudice præcrasso, cortice crasso, scabro, ac cinereo obducto, nec non ramulis viridibus geniculatis, ac quadrangulis plurimis donato; lignum albicans, durum, glabrum, striatum, quercino ligno haud absimile.

Radix rufa, saporis adstringentis & subamari, odoris subacidi.

Folia geminata ordine parallelo ramulis inhærent, oblongo-rotunda, acuminata, densa, crassa, supernè splendentia, infernè nequaquam, duas spithamas aut amplius longa, spithamam lata; à pediculo ad apicem folii nervus decurrit conspicuus, rotundus, infernè eminens, è quo plures in latera obliquè excurrunt nervuli; odor acidus, sapor austerus. Manibus verò si confricentur hæc folia succum fundunt, qui illicò sanguinis instar atropurpureus evadit.

Flores exigui, suaveolentes circa ramulos teneriores ad foliorum exortum, petiolis longis, quadrangulis ac sulcatis proveniunt, sensimque porrectis columellis umbellæ specie panduntur: constant quinque vel sex subrotundis, candidis, & extrorsum reflexis foliolis, inhærentque exiguo & acuminato calyci; foliola hæc intercedunt totidem staminula alba, apicibus luteis donata, medium occupante stylo subviridi, acuminato. Tandem superveniunt vesicæ magnæ virentes, superius apertæ, in quibus tres quatuorve (ligneo tamen sepimento ab invicem sejuncti) locantur *Fructus* subrotundi, virides, lanugino-

ſi ac hirſuti, nec non carne virideſcente, inodorâ, ſaporiſque amari & adſtringentis, referti; intra quam oſſiculum continetur quadratum, ex albo ruſeſcens, *Nucleum* includens exiguum, albicantem.

Creſcit ubique in Malabar, at præſertim in Provincia Atsjen Coyl, & Calicolan, ubi integræ ſylvæ ingentium harum arborum reperiuntur. Semper viret, quotannis floret frugetque; menſibus viz. Auguſto & Octobri; atque non raró à decimo anno ad trecenteſimum frugifera manet.

Lignum vero hujus arboris, quercino ligno haud abſimile, operi fabrili accomodum, atque Naupegis ad navium fabricam in uſu eſt; ſed in aquis (præſertim dulcibus) teredini facilè obnoxium: Gentiles, neſcio qua ſuperſtitione ducti, hoc ſolummodo ligno ſua vel conſtruunt, vel reparant templa. Et retulit Princeps Calicolan, ſe integrum templum ex unica hujuſmodi arbore ædificari curaſſe. E foliis tenerioribus purpureus conficitur color, quo panni ſericei & goſſypini tinguntur. Etiam tenera hæc foliola in deliciis indigenæ comedunt: ex iisque coctis cum ſaccharo ſyrupus fit, qui aphthis medetur. Ex floribus cum melle coctis medicamentum paratur, quod aſſumptum aquas hydropicorum educit. Radix ſiccata, contuſa, & in pulverem redacta, ſicque exhibita, ſanguinem ex caſu alicubi concretum diſſolvit. E fructibus tenerioribus contuſis unguentum conficitur, herpeti ſanando perquam utile.

Tab. 27.


Jacobus Bontius lib. 6. cap. 16. arborem hanc deſcribit, *Kyati* ſeu *Quercus Indicæ* nomine, quanquam nullam cum quercu ſimilitudinem habeat, niſi reſpectu ligni, quod ligno quercino ſimillimum eſt; quapropter Malaccis *Jati*, & Bontio *Kyati* ſeu *Kiati* nuncupatur, ſed malè: etenim *Kayo-jati* potius dicenda foret, cum *Kayo* lignum, *jati* vero quercum propriè ſignificet. Inſuper arboris hujus meminit *Joh. Nieuhof in itinerario pag.* 249. ubi exactè florem, fructumque ejus deſcribit

KATOU-


Pars 4. Tab. 28.
Catútekka. lat.
mal.
Vana papalu. bra.
Arab.

KATOU-THEKA.

Tab. 28.



Rbor quæ *Katou-theka* Malabarensibus, *Dava-sailo* & *Vana-papalou* Brachmanis, *Teka-Brava* Lusitanis, *wilde Teka* Belgis nuncupatur, præcedentis species est minor & humilior, crassitie pruno haud absimili caudice, cortice obducto cinereo, nec non ramulis viridibus, quadrangulis, ac sulcatis plurimis itidem ornato; lignum albicans, inodorum, insipidum.

Radix purpurea.

Folia geminata ordine parallelo ramulis inhærent; oblongo-teretia, crassa, densa, glabra, supernè colore atro-viridi nitentia, infernè viridi dilutiore, spithamam longa, tres quatuorve circiter digitos lata, insipida, inodora; nervis aliquot in adversa parte prominentibus, è costa media flavescente in latera excurrentibus.

Flores è surculorum extremis inodori ac insipidi oriuntur in Jubæ formam dispositi, numerosi; quorum singuli ad flores Liloc accedere videntur, oblongi, candidi, quinque teretibus, crassis, mollibus, & extrorsum reflexis foliolis constantes; quinque albicantibus, erectis, & acuminatis staminulis medium occupantibus.

Fructus nucum avellanarum magnitudine æmuli, oblongo-rotundi, exiguo in vertice umbilico præditi, glabro ac flavescente cortice cincti, nec non carne viridiflavescente, succulentâ, dulci referti; intra quam ossiculum continetur, nucleum includens candidum, dulcem.

Naſcitur ubique in Malabar, præſertim circa Warapoli; ſemper viret, quotannis floret, frugetque, menſibus viz. Auguſto, Septembri, & Octobri; at diu frugifera non eſt.

Cæterum fructus hi loco Arequæ ſeu Katungæ cum folio Betel frequenter manducantur. Arboris cortex exſiccatus, & in pulverem redactus, ſicque exhibitus, bilis ardorem compeſcere dicitur.





Clerodendron serratum L.
Pars 4. Tab. 29.
Tsjéru-Téka. lat.
Mal.
Sailò. bra.
Arab.

TSJEROU-THEKA.

TAB. 29.



Sjerou-Theka Malabarenſibus, *Douda-Sailo* Brachmanis, *Teka Creſpa* Luſitanis, *Netel-Teka* Belgis, Arbuſcula eſt humilis, ſeptem circiter pedes alta, caudice pedis menſuram craſſo, albicante, cortice obducto cinereo, amaro, multiſque ramulis viridibus, triangularibus, ac geniculatis donato.

Radix albicans, ſaporis amari, odoris terreſtris.


Folia terna ſimul circa ramulorum geniculos proveniunt, oblongo-rotunda, acuminata, in ambitu crenata, ſupernè colore atro-viridi nitentia, infernè ſubviridia & tomentoſa; coſta media craſſa, è qua plures ſuperiora verſus exoriuntur coſtulæ, in adverſa parte altè extuberantes ac lanuginoſæ: odor ſuavis, ſapor acris & amarus. Teneriora verò hujus arboris folia rubicunda ſunt.

Flores haud ſecus ac *Katou-Theka* flores, ſurculorum extremis racematim proveniunt, cærulei, foliolorum ſtipatu obvallati, viridique & acuminato calyci inhærent, è quinque oblongo-rotundis ac introrſum reflexis foliis conſtantes; quinque cæruleis ſtaminibus, flaveſcentibus apicibus ornatis, ac extra florem latè expanſis, mediam ejus cavitatem & umbilicum occupantibus, inter quæ ſtylus prodit ex albo cæruleus, ac in acumine diviſus: odor ſuavis, ſapor ſubamarus.

Fructus ſubrotundi, triquetri, in vertice exiguo umbilico præditi, glabri, nitentes, primum atro-purpurei, dein furvi, intus molli carne referti; cui tres includuntur Nuclei exigui, virides, ſapore fabaceo.

Crescit locis arenosis ubique in Malabar, præsertim in Provincia Moutan; semper viret, quotannis floret, frugetque.

Cæterum ex arboris foliis oleo butyroque incoctis unguentum conficitur, quod Cephalalgiæ, Ophthalmiæ, & aurium tinnitui medetur. E radice cum zinzibere & Coriandri semine aquæ incocta Apozema conficitur, quod exhibitum alimentorum in ventriculo fermentationem potenter juvat, & Nauseam sanat. Fructus contusi & in lacte Ebutyrato cocti, vel infusi alvum movent, & aquas hydropicorum ducunt.



BEN-

Ben-téka. Lat.
വെന്തെക്ക mal.
Sailò. bra.
साड़की



BENTHEKA.

Tab. 30.



Rbor quæ Malabarenſibus *Bentheka*, Brachmanis *Kaſailo*, Luſitanis *Theka-Macho*, Belgis *wit Theka* nuncupatur, licet nullam cum *Theka* ſimilitudinem habere videatur, ejus tamen ſpecies Indis habetur; Eſtque procera, caudice denſo, albicante, cortice obducto cinereo, nec non ramulis cinereis ac glabris in orbem diffuſis donato.

Radix furva, odoris ſaporiſque ſylveſtris.

Folia inordinatè circa ramulos proveniunt, oblongo-rotunda ac in mucronem deſinentia, ſupernè atro-viridia & nitentia, infernè ſubviridia & lanuginoſa, craſſa, denſa, longitudine ſpithamam, latitudine palmum æquantia, inodora, inſipida, à pediculo ad apicem folii nervus decurrit conſpicuus; rotundus, infernè eminens, è quo plurimi ſuperiora verſus exoriuntur nervuli, qui in ſe invicem arcuatim deferuntur.

Flores exigui, viridi-albicantes, & ſuaveolentes racematim proveniunt, atque calyci inhærent exiguo, viridique; conſtant ii unico foliolo, ſed in quinque profundas lacinias diviſo, ſic ut plura videantur, quinque flaveſcentibus & acuminatis fibris mediam floſculi cavitatem occupantibus; intra quas ſtylus prodit erectus, capitulo viridi.

Floribus pari fertilitate ſuccedunt *Fructus* oblongo-rotundi, virides primum, dein rubicundi, glabri, ac nitentes, *Arequæ* fructibus tenerioribus haud abſimiles, ſimilique carne intus referti, intra quam plura continentur *ſemina* oblongo-rotunda, furva, glabra, nitentia, nec


minus dura, duplici ordine locata, ac membranaceo dissepimento seu pariete integerrimo sejuncta; sapor austerus, odor nullus.

Crescit locis montanis & arenosis in Teckenkour; semper viret, quotannis floret frugetque, ac diu frugifera manet.

Cæterum ex arboris foliis cum melle medicamentum paratur, quod exhibitum sudores movendo æstum febrilem temperat, & variolas expellit.


Tab. 28. 29. 30.

Katou-theka, *Tsjerou-theka*, *Bentheka*, quanquam cum *Theka* huc referantur, tamen species ejus haberi non possunt, quia nullam cum ea habent similitudinem.



IRIPA.

Cynometra ramiflora L.



I R I P A.

Tab. 31.



Ripa Malabarensibus, *Iripou* Brachmanis, *Fruita Bolsa* Lusitanis, *Tas-noten* Belgis, arbor est procera, sexaginta circiter pedes alta, caudice crasso, denso, cinereo, cortice obducto nigricante, intus rubicundo, nec non ramulis cinereis & subviridibus plurimis donato.

Radix rubicunda, flavescente cortice tecta, nec non fibris suis latè per terram diffusa; sapor acris, odor nullus.

Folia geminata ordine parallelo ramulis inhærent, oblongo-rotunda, glabra, densa, supernè colore atro-viridi nitentia, infernè viridi-dilutiore; nervulis exiguis plurimis è media costa in parte adversa quodammodo extuberante, & folium per longitudinem medium inæqualiter secante, obliquè in latera excurrentibus: odor nullus, sapor subadstringens.

Flores inter folia circa ramulos sparsim proveniunt, exigui, candidi, inodori, è quatuor acuminatis foliolis constantes; hæcque foliola intercedunt octo staminula alba, apicibus rubicundis donata, medium occupante stylo candido, qui ipsius fructus rudimentum est.


Fructus oblongo-rotundi, compressi, inæquales, ac sulco striati, cucurbitis formâ haud absimiles, cortice crasso, coriaceo, nec non carnoso, molli, ac pulvinato tecti, amygdalæ in modum; qui, fructibus in maturitatem tendentibus, in utroque latere dehiscit, seseque aperit, ac *Nucleum* relinquit albicantem, tenui pelliculâ cinctum, den-

densum, compactum, inodorum, saporisque adstringentis.
Crescit circa Repolyn, aliisque in locis Malabar, semper viret, quotannis floret, frugetque, Augusto viz. & Novembri mensibus.

Cæterum arboris hujus radices alvum movent. E foliis in lotio vaccino coctis, addito melle, potio paratur, quæ scabiem, lepram, aliosque cutaneos affectus sanare dicitur. Ex iisdem foliis cum Mangas foliis in lacte dulci coctis Apozema conficitur, quod Ictero, Asthmati, læsæ alimentorum in ventriculo fermentationi, indeque nato capitis dolori medetur. E fructibus oleum fit contra scabiem, aliosque cutaneos affectus.

Tab. 31.


Iripæ fructum describit *Clusius Exoticor. lib. 2. cap.* 25. sed minus exactè; quod mirum videri non debet, cum non nisi exsiccatum eum viderit.




Odina
Pars 4. Tab. 32.
Calesani. lat.
കലെശ. mal.
माई bra.
قَعْلَاجِبَامْ Arab.

KALESJAM.

Tab. 32.



Alesjâm Malabarensibus, *Mourmouratarum* Brachmanis, *Bainhero* Lusitanis, *Twee-bessen* Belgis, arbor est præcelsa, atque speciosa plurimum, altitudine sexaginta, crassitie vero septem pedum mensuram circiter æquans, multisque ramis cinereis, in orbem longè latéque diffusis, donata; lignum atro-purpureum, glabrum, ac flexile, cortice obductum nigricante, crasso, molli, intus albicante, qui incisuris alicubi vulneratus illico purpureus evadit.

Radix fibrata, albicans, furvo cortice tecta, odoris saporisque sylvestris.

Folia geminata ordine parallelo tenuioribus ramulis inhærent, oblongo-teretia, glabra, mollia, supernè colore atro-viridi nitentia, infernè viridi dilutiore, nervis aliquot è media costa in latera excurrentibus; odor & sapor sylvestris.

Flores ramulorum extremis racematim proveniunt, exigui, vitis viniferæ flosculis persimiles, inodori, inhærentque calyci exiguo, subviridi, quatuor acuminatis ac viridi-flavescentibus foliolis constantes, octo staminulis albicantibus, flavescentibus apicibus ornatis, medium occupantibus; inter quæ stylus prodit flavescens, ipsius fructus rudimentum.

Fructus pari fertilitate floribus succedunt, ac itidem racematim proveniunt uvarum aut ribium adinstar, suntque Baccæ oblongo-rotundæ, compressæ, virides, tenui cortice cinctæ, intusque carne succulentâ ac insipidâ refertæ; intra quam ossiculum locatur viride, oblongum, compressum, *Nucleum* includens candidum, ac penè insipidum.

Insuper præter geminos hujus arboris fructus, qui floribus succedunt, alii arboris caudici, & ramis undique adnascuntur, quique idcirco potius *Fungi*, quam *Fructus* dicendi: ii genuinis fructibus majores sunt, rugosi, formâ renali, viridi-diluto cortice tecti, carneque viridi, densâ, at humidâ, saporisque acerbi, intus referti; intra quam exiguus ac rubicundus vermiculus subinde hospitatur. Hi vero putatitii fructus non raro tam frequenter, & quidem racematim ramis adhærent, ut imperitior quis veros arboris fructus esse, facilè affirmaret.

Provenit ubique in Malabar, locis viz. petrosis, necnon in antiquissimarum ædium tectis; quotannis maturos exhibet fructus, Novembri sc. & Decembri mensibus: cum vero floret, antiqua decidunt folia, iis præsertim in locis ubi flores erumpunt, atque sobole sata ab anno decimo ad quinquagesimum & ultrà frugifera manet.

Ex ligno autem hujus arboris ensium ac cultrorum vaginæ conficiuntur. Cortex pulverisatus & cum butyro in unguenti formam redactus spasmo cynico, aliisque convulsionibus, è gravibus vulneribus ortis, medetur: item ulcera quævis maligna, doloresque arthriticos sanat. Insuper corticis hujus succus aphthas curat; & assumptus Dysenteriæ remedium est. Idem cortex cum cortice Coddam-pulli in pulverem redactus & exhibitus alvum movet, humoresque pituitosos & atrabilarios educit. E foliis & cortice in aqua coctis Semicupium paratur fœminis parituris, ut facilior & felicior succedat partus.

Tab. 32.


Secundum genus fructuum hujus arboris Excrementum potius dicendum est, quod similiter in Quercu, Ilice, aliisque arboribus observare est.

K A-


Garuga pinnata
Pars 4. Tab. 33.
Cátu-Calesjam. lat.
mal.
Arab.

KATOU-KALESJAM.

TAB. 33.



Atou-Kalesjam Malabarensibus, *Moemoe* Brachmanis, *Arvore da folha Parida Macho* Lusitanis; Arbor est mediæ magnitudinis, altitudine viginti, crassitie vero septem pedum mensuram rarò superans, multisque ramis nodosis donata, è quibus ramuli foliosi in orbem eleganter diffusi demum emergunt; lignum albicans, prædurum, cortice munitum furvo, scabro, crasso, molli, intus subviridi.

Radix albicans, furvo cortice tecta, inodora, insipida.

Folia præcedentis arboris foliis similia; at densa, fragilia, & in ambitu serrata.

Flores surculis oblongis racematim inhærent, atque è calyce subflavo, in quinque lacinias acuminatas secto, prodeunt, quinque crassis, densis, acuminatis, flavescentibus, extrorsumque reflexis foliolis constantes, octo in medio citrinis, acuminatis staminulis; inter quæ stylus prodit viridi-flavescens, capitulo viridi, globoso.

Fructus globosi, glabri, subvirides, tenui pellicula cincti, intusque carne densâ, succulentâ, subviridi, saporisque adstringentis, referti; intra quam quinque locantur rufa ossicula, seu potius semina, formâ fabarum æmula, *Nucleum* continentia candidum, amaro-dulcem, acrem.

Crescit locis arenosis circa Cochin; quotannis maturos exhibet fructus, diuque frugifera manet: at flores cum fert, Septembri viz. & Octobri mensibus, antiqua decidunt folia, ut de *Kalesjam* dictum fuit.

Cæterum arboris hujus folia variis modis, tum intrinsecus, tum extrinsecus usurpantur ad varios hepatis affectus, ex iisque apozemata, cataplasmata, similiaque præparantur medicamenta.

Tab. 33.

Arbor hæc nullam in nota generica cum *Kakesjam* habet similitudinem, sed ad *Sorbum* potius referri posset; hinc *Sorbum Malabaricam* vocare licet.



BEN


Ben-Calesam. lat.
വെങ്കലം Mal.
Zelára bra.
Arab.

BEN KALESJAM.

Tab. 34.


Rbor hæc Malabarenſibus *Ben Kalesjam*, Brachmanis *Mourmoura*, Luſitanis *Arvor da folha Parida*, Belgis *Loof-appel* nuncupatur; Eſtque mediocris magnitudinis, caudice mediocriter craſſo, ſcabro, & nodoſo, multiſque ramis viridibus ac nodoſis, in orbem longè latéque diffuſis, donato; lignum albicans, odorum, cortice obductum craſſo, cinereo, intus candido.

Radix craſſa, fibrata, albicans, cortice rubicundo, ſquammoſo obducta; odor ſuavis, ſapor acris & aromaticus.

Folia geminata ordine parallelo ramulis inhærent, oblongo-teretia, glabra, ſupernè atroviridia & ſplendentia, infernè ſubviridia & lanuginoſa, in ambitu quodammodo crenata; nervis aliquot è media coſta, folium per longitudinem medium inæqualiter ſecante, in latera excurrentibus: odor ſuavis, ſapor adſtringens.

Flores hæc arbor aut nullos fert, aut ſaltem non conſpicuos. *Fructus* vero ad foliorum exortum oriuntur, ſeu potius ipſis foliis inſident (haud ſecus ac Gallæ in Quercu proveniunt) numeroſi, oblongo-rotundi, acuminati, primum virides, dein purpuraſcentes, glabri, nitentes, intus cavi, ac ſubſtantiâ farinaceâ referti, intra quam unum alterumve inſectum volatile è papilionum genere hoſpitatur; ſapor aqueus ac ſubadſtringens.

Naſcitur ubique in Malabar, & frequenter in agris colitur ob folia, quæ eum in finem colligi ſolent ut agri ac horti iis ſtercorentur: Sobole ſata anno quinto decimo

demum fructus in foliorum ſuperficie exhibet, ſemper viret, diuque ſuperſtes manet.

Uſus vero hæc arbor eoſdem habet in Medicina, ac Kalesjam.

Tab. 34.

Qui fructus hujus arboris deſcribuntur, excrementa ejus meritò haberi poſſunt.




PONGA

Pongù. lat.
പൊങ്ങു mal.
Calò-dumpù bra.
कालोदूपर
بانفحو Arab.



PONGA.

Tab. 35.



Onga Malabarensibus, *Helay* Brachmanis, *Masao-Spinosa* Lusitanis, *Boom-clissen* Belgis, Arbor est procera, quadraginta circiter pedes alta, caudice crasso, præduro, cinereo, cortice furvo, glabro, inodoro ac insipido obducto, nec non multis ramulis glabris, rufis, intus albicantibus ac duris, donato.

Radix rufa, inodora, insipida.

Folia sine ordine crassis, rotundis, ac fuscis petiolis circa ramulos proveniunt, oblongo-rotunda, acuminata, densa, glabra, colore atro-viridi supernè splendentia, infernè viridi dilutiore; nervis aliquot è media costa, in adversa parte altè extuberante, in latera excurrentibus: odor sylvestris ac gravis, sapor nullus.

Flores hæc arbor aut nullos fert, aut saltem non conspicuos. *Fructus* vero ipsis ramis adhærent, & haud secus ac *Tsjaka* proveniunt, unde Lusitanis *Tsjaka do Mato* hoc est *Tsjaka sylvestris* dicuntur. Sunt autem Calyces echinati, pungentes, erinaceis similes, primum virides, dein rufi; in quibus continentur plurima oblongo-rotunda, acuminata, ac rufa *semina*, odoris saporisque sylvestris.

Crescit locis arenosis ac montanis circa Cranganoor; semper viret, frugetque.

E viridibus vero hujus arboris fructibus contusis cataplasma conficitur, quod tumoribus impositum eorum suppurationem potenter promovet. E cortice & radice

in aqua coctis fomentum paratur, quod œdematosis crurum tumoribus (malo Indis Endemio, & *pe do St. Thome* Lusitanis dicto) supervenienti inflammationi medetur.

Tab. 35.

Piso histor. natur. & med. Brasiliens. lib. 4. *cap.* 25. arborem huic haud absimilem describit, nomine *Tataiiba.* Est hæc species *Jacæ*, atque ideo non malè vocari posset *Jaca minor sylvestris Malabarica.*



K A-

Vitex leucoxylon L.

Pars 4. Tab. 36.



KARIIL.

Tab. 36.



Ariil Malabarensibus, *Zalico* Brachmanis, *Satirao* Lusitanis, Arbor est vastæ magnitudinis, quinquaginta circiter pedes alta, caudice crasso, denso, albicante, cortice obducto crasso, cinereo, saporisque adstringentis, nec non ramulis viridi-albicantibus, fungosâ intus medullâ (uti in Sambuco cernitur) refertis, ornato.

Radix furva, saporis amari, odoris terrei.

Folia terna vel quina simul juncta petiolis longis circa ramulos proveniunt, oblongo-rotunda, ac in mucronem desinentia, densa, glabra, supernè atro-viridia & splendentia, infernè subviridia; nervis aliquot infernè eminentibus, è media costa in latera excurrentibus: odor sylvestris, sapor subamarus.

Flores similiter petiolis longis circa ramulos racematim proveniunt, cærulei, suaveolentes, viridique ac rotundo calyci inhærent, quinque subrotundis & extrorsum reflexis foliolis constantes, cæruleo medium occupante stylo.

Fructus pari fertilitate floribus succedunt, calycique, glandium instar, inhærent, oblongo-rotundi, prunorum sylvestrium æmuli, subvirides, glabri, carneque molli, humidâ, viscidâ, ac albicante referti, quæ, fructibus disscissis, mox inspissatur ac purpurea evadit; odor ingratus, sapor amarus: intra carnem ossiculum locatur oblongo-rotundum, *Nucleum* continens candidum, amaro-dulcem.


Provenit variis in locis Malabar, præsertim circa Moutan; semper viret, quotannis floret frugetque, Julio viz. & Augusto mensibus.

Cæterum è radice, foliis, fructibus, aliisve hujus arboris partibus in aqua coctis Balneum paratur, quibuscunque articulorum doloribus tollendis utilissimum.

Tab. 36.

Kariil ad pruniferas arbores referri debet, atque hinc non malè dicitur *Arbor prunifera Malabarica pentaphylloides, fructu calyci insidente*





Vidimaram. lat.

mal.

Salanti. bra.

Arab.

VIDIMARAM.

Tab. 37.



VIdimaram Malabarensibus, *Quarenna* Brachmanis, *Fruta d'entrude* Lusitanis, *Cleef-pruymen* Belgis, arbor est mediæ magnitudinis, caudice crasso, albicante, cortice obducto crasso, squammoso, furvo, ac lineis purpureis striato, odorisque gravis & saponariam aquam referentis; nec non pluribus ornato ramulis cinereis.

Radix albicans, furvo cortice tecta, inodora, insipida.

Folia inordinatè circa ramulos longioribus petiolis proveniunt, oblongo-rotunda, acuminata, ex parte leviter in ambitu crenata, densa, supernè colore atro-viridi splendentia, infernè viridi dilutiore; nervus crassior secundum folii longitudinem transit, ac præterea in quolibet latere unus tenuior, ita ut tres sint in universum, è quibus transversim exiles nervuli varii excurrunt: odor ingratus & lixiviosus, sapor unctuosus.

Flores candidi ac suaveolentes petiolis longis circa ramulos racematim proveniunt, viridique, oblongo, & acuminato calyci inhærent, sex oblongo-teretibus, acuminatis, crassis, & extrorsum reflexis foliolis constantes, totidem albicantibus staminulis, flavescentibus apicibus ornatis, medium occupantibus; inter quæ globulus consistit viridi-dilutus, è quo sex septemve tenuia ac albicantia filamenta plerumque prodeunt.

Floribus pari fertilitate *Fructus* succedunt; calycique rotundo, crassoque inhærent, oblongo-rotundi cum cuspide in vertice, alioquin glandibus nostratibus cum formâ, tum magnitudine haud absimiles, subvirides, gla-

bri, molles, tenui pelliculâ cinĉti, carneque albicante, pellucidâ[a] mucilaginosâ, viſcidâ, ſaporiſque primum ſubacidi, dein dulcis intus referti; intra quam oſſiculum locatur ruſum, oblongum, quadratum, Nucleum continens albicantem, amaro-dulcem.

Creſcit variis in locis Malabar, præſertim circa Bardella, locis viz. paluſtribus ac uliginoſis; ſemper viret, quotannis maturos fert fructus, menſibus ſc. Julio & Auguſto, atque ad ſexageſimum annum non raro frugifera manet.


Cæterum fructus hi ſale & aceto condiuntur in *Atsjaar*; maturiores vero comeduntur, at alvum relinquunt adſtrictam. Ex arboris cortice ſuccus exprimitur, qui cum oryzæ infuſo & concreto Nucis Indicæ ſucco exhibitus, vehementes alvi cruciatus (quos *Tripas Subidas* hoc eſt *inteſtinorum ſpaſmum* dicunt Luſitani) ſedat: Idem ſuccus pedum clavis admotus eoſdem emollit, ſenſimque tollit: Radix quocunque modo ſumpta alvum movet. E foliis in aqua communi, aliis additis ſpecificis, coctis Apozema fit, quo Indiginæ plerique quotannis per quadraginta dies continuos uti ſolent, adverſus viſcerum quorundam obſtructiones & artuum dolores. Succus è foliis expreſſus, & cum conchylii cujuſdam pulvere in linimenti formam mixtus fœdas faciei, totiuſque corporis maculas delet, ſi eo illinantur.

Tab. 37.

[a] Arbor hæc à nullo Botanicorum, quod ſciam, deſcripta eſt; videtur tamen ad pruniferas meritò referri poſſe.



PONNA.


Calophyllum inophyllum
Púnna. lat.
mal.
Úti, bra.
Arab.

PONNA.

TAB. 38.



Rbor hæc *Ponna* ſeu *Ponnamaram*, ejuſque fructus *Ponnaca* Malabarenſibus, uti & Luſitanis, *Oeti* Brachmanis, *Geele gom-appels* Belgis nuncupatur; Eſtque vaſtæ magnitudinis, altitudine nonaginta, craſſitie verò duodecim pedum menſuram circiter æquans, multiſque ramis in orbem longè latéque diffuſis donata; qui cortice glabro, primum viridi, dein rufeſcente muniti, ubi inciduntur, albicantem ſtillant liquorem: lignum albicans, cortice obductum craſſo, ſquammoſo, nigricante, intus purpuraſcente isque vulneratus lachrymam fundit flaveſcentem, viſcidam, ac tenacem, quæ ſolis ardore in gummi duritiem non rarò exſiccatur.

Radix fibrata, albicans, flaveſcente cortice cincta, odoris ſylveſtris & gravis, ſaporis adſtringentis.

Folia geminata ordine parallelo circa ramulos brevibus petiolis proveniunt, oblongo-rotunda, Nympheæ foliis haud abſimilia, craſſa, denſa, glabra, ſplendentia, ſupernè atro-viridia, infernè ſubviridia, in ambitu deaurata; coſta media craſſa, & in adverſa parte altè extuberans, è qua innumeri exiles, & penè inviſibiles nervuli ſuperiora verſus excurrunt, & ultra folii medium omnino evaneſcunt: odor ſylveſtris, ſapor acidus.

Flores racematim circa extremos ramulos petiolis longis proveniunt, Trifolii hepatici floribus cum formâ, tum magnitudine haud abſimiles, octo candidis, craſſis, rotundis, ac cochleato-cavis foliolis conſtantes; densâ viridium ſtaminulorum, flaveſcentibus apicibus ornatorum, congerie mediam floſculi cavitatem & umbilicum occu-

pante; inter quæ albicans emergit ſtylus: odor ſuavis, ſapor nullus.

Simili planè modo *Fructus* ramulis adnaſcuntur, rotundi, glabri, virides, nitentes, maturiores verò rufeſcentes, cortice craſſo, carnoſo, molli, ac pulvinato, ſaporiſque acido-amari, tecti, nucis juglandis in modum: huic ſubeſt putamen, ſeu cortex lignoſus albicans, *Nucleum* includens oblongo-rotundum, ex albo flaveſcentem, ſaporis primum dulcis, dein valdè amari; qui diſſectus (haud ſecus ac arboris cortex) lachrymam fundit citrinam ac reſinoſam.


Provenit ubique in Malabar, locis nimirum arenoſis, præſertim circa Aregatti; quotannis bis fruget, Martio viz. & Septembri menſibus, atque trecentos non raro frugifera manet annos.

Porro è fructuum horum Nucleis ſiccatis oleum exprimitur, quod in lampade ad ellychnii flammam conſervandam cremari ſolet. Idemque oleum membris dolentibus illitum dolorem jucundè tollit. Inſuper ex veteri hujuſmodi oleo cum cera flava unguentum conficitur, quod ſcabiei medetur. Ex arboris cortice & foliis in aqua communi coctis egregium fit collyrium. E cortice radicibus detracto, & in aceto macerato extractum paratur, quod Cephalæam ſanat, ſi caput eo fricetur. Lachryma ex arbore & fructibus ſtillans, collecta, & exhibita vomitum ciet, alvum movet, adeoque humores vitioſos ſurſum deorſumque vehementer expurgat.

Tab. 38.

Jacobus Zanonius in Indice ſtirpium Malabaricarum hujus Arboris meminiſſe videtur, dum *Ponnam* inter cæteras enumerat. Lachryma reſinoſa, quam fundit hæc Arbor, haud malè ſpecies cenſetur Guttæ Gambæ, præſertim quum plurimas facultates cum Gummi Gotte communes habet.

SJEROU-


Pars 4. Tab. 39.
Tsjéru-púnna. lat.
mal.
Vndi. bra.
Arab.

TSJEROU-PONNA.

Calophyllum calaba L. sp. 732

Tab. 39.

Rbor quæ Malabarenſibus *Tsjerou-ponna*, Brachmanis, *Cit-octi*, Luſitanis, *Ponnaca Pequeno*, Belgis *Cleyne geele gom-appelen* nuncupatur, quamquam minor præcedentis arboris dicatur ſpecies, tamen æquè procera eſt, frondibus umbroſis in latum diffuſis; lignum prædurum, rubicundum, craſſo ac nigricante cortice cinctum, ut Ponna.

Radix rufa, croceo intuſque rubicundo cortice tecta; odoris ſylveſtris & gravis, ſaporis adſtringentis: ea vero diſſecta lachrymam fundit flaveſcentem ac reſinoſam.

Folia præcedentis ſpeciei foliis ſimilia, at minora.

Similiter *Flores* Ponnæ floribus ſimiles, præterquam quod non ex octo, ſed è quatuor plerumque conſtent foliolis.

Fructus oblongo-rotundi, glabri, virides primum, dein rubicundi, acido-dulces, Cornis noſtratibus cum figurâ, tum magnitudine, & ſubſtantia haud abſimiles.

Creſcit locis arenoſis; quotannis fructus fert, Auguſto viz. & Septembri menſibus, diuque ſuperſtes manet.

Cæterum fructus hi ab Indigenis comeduntur. E nucleis horum ſiccatis quoque oleum exprimitur, quod in lampade comburi ſolet. At in Medicina arboris hujus partes nullum habent uſum.

Tab. 39.

Arboris hujus ramulus habetur in Horto Hyemali, ſeu Herbario vivo, à *Cl. Paulo Hermans*, nunc in celeberrima Academia Lugduno-Batava Profeſſore digniſſimo; ex Zeilan ad me tranſmiſſo, qui *Kina* ibidem appellatur.


Sponia orientalis.
Pars 4. Tab. 40.
Mallam-taddali. lat.
mal.
Arab.

MALLAM-TODDALI.

Tab. 40.



Rbor hæc Malabarenſibus, *Mallam-Toddali* id eſt *Toddali Montana*, Brachmanis *Chori-bori*, Luſitanis *Tarilla d'agoa*, Belgis *Narren-pluymen* vocatur; Eſtque mediæ magnitudinis, caudice craſſo, denſo, albicante, cortice obducto furvo ac glabro, nec non ramulis ſubviridibus & lanuginoſis ornato.

Radix albicans, rubicundo cortice cincta; ſapor acris & amarus, odor aromaticus.

Folia brevibus ac lanuginoſis petiolis alternatim ramulis inhærent, oblongo-rotunda, acuminata, in ambitu ſerrata & horrentia, ſupernè atro-viridia, infernè ſubviridia, nervis aliquot è media coſta in latera excurrentibus; ſapor acris & adſtringens, odor ſuavis.

Floſculi circa ramulos ad foliorum exortum racematim proveniunt, ſuntque gemmulæ parvæ, ſubvirides, è vertice duo candidiſſima ſtaminula, pilis plumatim obſita, velut duo exilia cornua, transverſim emittentes; odor nullus, ſapor acris. Hæ verò gemmulæ maturiores *Fructus* conſtituunt, iique ſunt Baccæ exiguæ, virides, carne ſucculentâ & amarâ refertæ, intra quam exiguum locatur oſſiculum glabrum, rubicundum, cum Nucleo intus, ſapore ceraſorum Nucleorum æmulo.

Provenit locis Montanis, attamen humidis ab imbribus frequentioribus, nec non in fluminum ripis circa Combotto; quotannis fructus fert, Septembri viz. & Octobri menſibus, atque per ſexaginta non raro frugifera manet annos.

Cæterum arboris hujus partes, radix viz. cortex, folia, & fructus, specificum habeatur adversus Epilepsiam, Phrenitidem, similesque cerebri morbos remedium.

Tab. 40.

In indice stirpium Malabaricarum à Valeria di St. Gioseppi ad Jacobum Zanonium misso Arboris hujus mentio fit nomine *Dudhali*; sed nulla ejus addita est descriptio.




PERIN-

Perim-toddali. lat.

പെരിന്തൊടലി mal.

Bóri बोरी bram.

پهرونضحامالي Arab.



PERIN-TODDALI,

seu Jujube Indica, B. Pin.

TAB. 41.



Erin-toddali Malabarensibus, *Bori* Brachmanis, *Tarilla* Lusitanis, *Doorn-kerssen* Belgis, Arbor est procera, caudice crasso, candido, fibroso, furvo intusque rubicundo cortice cincto, nec non ramulis primum viridibus & lanuginosis, dein rubicundis, longè latéque in orbem diffusis, donato; qui ad foliorum exortum acutis & rigidis spinis insuper muniti sunt.

Radix fibrata, albicans, cortice tecto purpureo, intus furvo, inodora, insipida.

Folia petiolis rotundis alternatim circa ramulos, juxta spinas proveniunt, oblongo-rotunda, crassa, densa, supernè atro-viridia & splendentia, infernè subviridia & lanuginosa, nervis aliquot è media costa in latera excurrentibus; odor & sapor sylvestris.

Flosculi plures simul juncti, ad foliorum exortum, circa ramulos proveniunt, quinque teretibus, candidis, è viridi striatis, atque in orbem expansis foliolis constantes; foliola hæc intercèdunt totidem albicantia, flavescentibus apicibus ornata, staminula, medium occupante viridi ac bifido stylo: odor gravis & fœtidus.

Fructus cum formâ, tum magnitudine olivis haud absimiles, at exiguâ acutâque spinâ in vertice dotati, primum virides, dein maturiores facti rubicundi, simile quoque, ut olivæ, ossiculum continentes, Nucleo intus albicante; sapor acidiusculus & gratus.

Creſcit locis arenoſis circa Paloerti; Quotannis bis fruget, Martio viz. & Septembri menſibus, atque à decimo ſationis anno ad centeſimum non raró frugifera manet.


Cæterum fructus hi maturi ab Indigenis comeduntur; minus maturi vero ſale & aceto in *Aatsjaar* condiuntur. Arboris folia uſurpantur ad gemmas quaſcunque fricandas ac poliendas. E foliis in lacte dulci coctis Potio paratur, quæ Gonorrheæ virulentæ medetur. Ipſa vero folia cocta umbilico, cataplaſmatis in modum impoſita, dyſuriam & ſtranguriam tollunt. Corticis expreſſus ſuccus aphtharum perhibetur remedium. Succus è radice expreſſus, atque cum Ricini ſemine, & lactis ſero exhibitus potenter ventrem ſubducit, vitioſoſque humores expurgat. Ex radicis pulvere cum oryzæ farina, & butyro Cataplaſma fit, quod fronti admotum delirium compeſcit, & ſomnum provocat. E radice in ſeſami oleo cocta Balſamus conficitur, qui membris dolentibus illitus, arthriticum dolorem mitigat.

Tab. 41.

Perin-toddali quamquam proximè ſequatur *Mallam-toddali*, ejus tamen ſpecies non eſt. Caſparo Bauhino in Pinace dicitur *Jujube Indica*, Garciæ ab horto *Boræ* & *Ber*, Canarinis *Bor*, uti teſtatur Acoſta cap. 51. Joannes Bauhinus in hiſtoria Plantarum univerſali vocat *Ber-Indicam fructu jujubino*. Atque circa ramulos hujus arboris à formicis majoribus alatis Gummi Laccam formari nominati Auctores teſtantur. In memorato Herbario vivo Zeilanico hujus ſpeciei ramulus continetur nomine *Ziziphi Indicæ argenteæ totæ cariophylli aromatici flore*, Cingalenſibus *Wælæmbilla* dictæ.



KADALI.


Pars 4. Tab. 42.
Kadalì. lat.
mal.
Nakéri, bra.
नाकरी
Arab.

K A D A L I.

Tab. 42.



Adali Malabarensibus, *Naqueri* Brachmanis, *Katepinake* Cingalensibus, *Fruita da Gralha* Lusitanis, *Craye - bessen* Belgis, Frutex est, seu Arbuscula humilis, caudice tenui, nodoso, ramulisque quadrangulis, viridibus, lanuginosis & asperis, ceu frondibus umbrosis in latum diffusis, ornato: Lignum ex albo flavescens, prædurum, densum, furvo, lanuginoso asperoque cortice cinctum, necnon fungosâ intus medullâ (uti in Sambuco cernitur) refertum.

Radix fibrata, albicans, ruso cortice tecta, inodora, saporis adstringentis.

Folia bina & bina sibi invicem opposita, supernè atro-viridia, infernè subviridia; foliis Malabatri haud absimilia; præterquam quod sint aspera, exiguis spinulis horrida, maculata, & in ambitu leviter crenata, inodora, adstringentique sapore prædita; à pediculo ad apicem folii tres nervi crassiores transeunt, è quibus transversim multæ venulæ parallelæ excurrunt.

Flores summis ramis innascuntur, calycique croceo, hirsuto, profundo, & in quinque lacinias diviso inhærent, Rosæ instar ampli, elegantes, quinque oblongo-rotundis, cœruleo - purpurascentibus ac nitentibus foliis constantes: Ex umbilico prodeunt decem stamina, quinque viz. viridi-flavescentia, apicibus luteis, plumatisque ornata; quinque vero longiora, inferius flava, superius purpurea & arcuatim inflexa, inter quæ stylus prodit purpureus: odor nullus, sapor adstringens.

Fructus rotundi, & in vertice calyce florum surrecto coronati,

ronati, croceo craſſoque cortice tecti, qui fructibus maturescentibus dehiſcit & aperitur: intus referti ſunt carne molli, cœruleo-purpuraſcente, dulcis gratique ſaporis, atque in quinque diſtinctos loculos per membranulas intermedias nonnihil divisâ, intra quam minutiſſima albicantia continentur granula; adeo ut fructus hi Arbuti fructibus, aut Fragis noſtratibus haud abſimiles videantur.

Naſcitur locis arenoſis & montanis, præſertim circa Cochin; ſemper viret, floret, frugetque.

Cæterum ligni hujus arboris carbonibus utuntur in præparatione pulveris pyrii. Floribus gentiles litare ſolent in templis Veneri dicatis, ipſisque *Mogeni* dictis. Fructus maturi ab Indigenis comeduntur: hiſce quoque panni goſſypini purpureo tinguntur colore. E foliis tenerioribus in oleo coctis unguentum conficitur, aphthis, ſimilibuſque oris & gingivarum affectibus ſanandis conveniens. Foliorum ſuccus cum oryzæ infuſo exhibitus colicam paſſionem ſanat.

Tab. 42.

Cadali Cyſti ſpecies eſt; ejus mentio fit in *Jacobi Zanonii indice ſtirpium Malabaricarum*, ubi *Kata-pinekl* nuncupatur.



KA-

BEN KADALI.



Ltera eſt Kadali ſpecies, eique valde ſimilis, quæ Malabarenſibus *BenKadali*, Brachmanis *Bel-naqueri*, Luſitanis, *Fruita da Gralha Branca*, Belgis *witte Kraye-beſſen* nuncupatur. *Flores* tamen albicantes, decem filamentis erectis, uniformibus, luteis, albicantibus apicibus ornatis, medium occupantibus. *Fructus* vero cortice viridi cincti, carneque albicante referti, intra quam minutiſſima, purpurea continentur granula; ab Indigenis comeduntur, at in Medicina nullius ſunt uſus.




Melastoma asperum
Pars 4. Tab. 43.
Kaloü-Kadáli. lat.
mal.
Nakeri, bra.
नाकारि
Arab.

KATOU-KADALI.

Tab. 43.



Rbuſcula hæc Malabarenſibus, *Katou-Kadali* hoc eſt *Sylveſtris Kadali*, Brachmanis *Cit-naqueri*, Luſitanis *Fruita da gralha do mato*, Belgis *wilde Craye-beſſen* appellatur; Eſtque tertia Kadali ſpecies, caudice tenui, ſpinulis exiguis horrido, nec non ramulis pupureis, aſperis ac hirſutis donato.

Folia Kadali foliis ſimilia; at majora, aſpera; & per folii longitudinem non tres, ſed quinque nervi craſſiores transeunt è quibus transverſim multæ venulæ excurrunt.

Flores inodori, calycique aſpero ac hirſuto inhærent, Kadali floribus haud abſimiles, ſed minores.

Fructus oblongo-rotundi, aſpero ac hirſuto cortice tecti, carneque intus ſucculentâ, purpureâ, dulcis gratique ſaporis referti, intra quam numeroſa, minutiſſima latitant granula, uti de Kadali fructibus dictum fuit.

Creſcit locis montanis, quotannis floret, frugetque.

Folia autem hujus arboris contrita, & cum piperis foliis ſiccatis in pulverem redacta, atque cum ſaccharo exhibita, tuſſim ſedant, ac phlegmata è pulmone ejiciunt.


Tab. 43.

Katou-Kadali itidem Cyſti Malabarici genus eſt. Similis arbuſculæ ramulus conſpicitur in memorato Herbario vivo Zeilanico, ubi à Cl. Paulo Hermans vocatur *Cyſtus Indicus quinque nervis, folio hirſuto & ſcabro, floribus roſeis amplis, capitulis ſericeis villoſis, pulpâ nigrâ refertis major*; Cingalenſibus *Mahabethya* dictus.


Tsjerou-Kadali. lat.
mal.
Dacoulu-naqueri. bra.
Arab.

TSJEROU KADALI.

TAB. 44.


Uarta Kadali ſpecies Malabarenſibus *Tsjerou Kadali* hoc eſt *Kadali minor*, Brachmanis *Dacouli-Naqueri*, Luſitanis *Fruita da gralha pequeno*, Belgis *Cleyne Craye-beſſen* dicitur, eſtque humilis frutex, cum Kadali prorſus conveniens, niſi quod foliis, floribus, fructibusque ſit minoribus.

Naſcitur locis montanis & petroſis circa Kandenate; ſemper floret, frugetque.

Cæterum ex arboris cortice, foliis, floribus, fructibuſque in ſeſami oleo coctis, oleum conficitur, quod Aphthis, linguæ fiſſuris, nec non palati gingivarumque puſtulis ac phlyctenis potenter medetur. Idemque Epilepſiam, ſpaſmum Cynicum, ſimileſque affectus curare dicitur, ſi caput eo illinatur.

Tab. 44.

Quarta hæc Cyſti Indici ſpecies ad præcedentes meritò refertur, quamquam folia quodammodo differant, & phyllireæ foliis haud abſimilia ſint.




Avicennia officinalis
Pars 4. Tab. 45.
Oépata. Lat.
mal.
Upalì
bra.
Arab.

OEPATA.

Tab. 45.



Epata ſeu *Upata* Malabarenſibus, *Kandolu* & *Oepoli* Brachmanis, *Salgueira* Luſitanis, *Zoutboom* Belgis, Arbor eſt præcelſa atque ſpecioſa plurimum, altitudine ſeptuaginta, craſſitie vero ſedecim pedum menſuram circiter æquans, multiſque ramis cinereis, longè latéque in orbem diffuſis, donata: Lignum albicans, cortice munitum cinereo.

Radix fibrata, rubicunda, rufo cortice tecta, inodora, mucilaginoſa, ſaporiſque ſubſalſi.

Folia geminata ordine parallelo brevibus petiolis circa ramulos proveniunt, oblongo-rotunda, craſſa, denſa, glabra, nitentia, ſupernè viridia, infernè ſubcinerea, inodora, inſipida; coſta media in adverſa parte altè extuberans, è qua plures exiles nervuli ſuperiora verſus excurrunt.

Flores racematim proveniunt, exigui, ſuaveolentes, calycique viridi, in quinque lacinias acuminatas ſecto, inhærent, quatuor oblongo-rotundis, acuminatis, luteis, atque in ambitu albicantibus, foliolis conſtantes; foliola hæc intercedunt totidem albicantia, bifidis apicibus ornata, ſtaminula, medium occupante ſtylo exiguo, candido.

Pari fertilitate floribus *Fructus* ſuccedunt, coniformes ac plani, cum cuſpide in vertice, cortice viridi, craſſo, carnoſo, ac pulvinato tecti, amygdalæ in modum: huic includitur *Nucleus*, fabam majuſculam cum formâ, tum ſubſtantiâ, & odore referens, & ſaporis amari; quidum

in involucro ſuo adhuc continetur, germinare incipit, ac radicis, foliorumque primordia emittit.

Provenit locis arenoſis ad ripas aquarum ſalſarum, præſertim circa Cochin; ſingulis annis maturos fert fructus, Auguſto viz. & Septembri menſibus, atque per ſeculum non rarò frugifera manet.

Cæterum è cineribus hujus arboris ligni acri-ſalſis lixivium conficitur, quo lotrices utuntur ad pannos goſſypinos eluendos & extergendos: Etiam pictores lixivium hoc coloribus admiſcere ſolent, ut picturis adhærere firmius queant. Fructuum Nuclei in Eduliis *Caril* ab Indigenis expetuntur, amaritudine per diutinam macerationem, & coctionem in aqua communi ſublatâ. Inſuper è fructibus hiſce viridibus, cum foliis Adamboe coctis, & addito butyro contuſis Cataplaſma fit, quod tumoribus impoſitum potenter eos emollit & maturat: eundem in finem Cataplaſma hoc variolis & morbillis imponi ſolet, ut citius vel maturentur, vel diſcutiantur.

Tab. 45.

Oepatæ fructus magnam habet ſimilitudinem cum *Anacardo*; pro certo tamen affirmare nequeo; ſitne eadem arbor nec ne?




WA-

Wadoúka. lat.

വട്ക്ക mal.

وَوضُوفكا Arab.



WADOUKA.

Tab. 46.


Adouka Malabarenſibus, *Adoulatti* Brachmanis, *Banhoeira* Luſitanis, *Smeer-appel* Belgis, Arbor eſt procera, caudice craſſo, denſo, albicante, cortice obducto furvo, craſſo, ſcabroſo, necnon viridibus, intuſque fungoſis ramulis plurimis donato, qui brevibus, rigidiſque ſpinis inſuper muniti ſunt.

Radix rufa, flaveſcente cortice tectâ, inodora, inſipida.

Folia oblongo-rotunda, craſſa, denſa, glabra, ſupernè intenſiore virore tincta, infernè ſubviridia; à medio illo, craſſo, viridi-albicante, in parte ſuperiore ſulcato, in adverſa verò altè extuberante, nec non folium per longitudinem medium inæqualiter ſecante nervo, plures alii tenuiores, penéque inviſibiles obliquè excurrunt: odor nullus, ſapor amarus.

Flores petiolis longioribus racematim proveniunt, exigui, Tiliæ florum magnitudine æmuli, quatuor ſubrotundis, candidis, è purpureo ſtriatis, ac mollibus foliis conſtantes, calycique viridi quadripartito inhærentes, odoris amœni, ſaporis ſubamari.

Fructus Nyalel fructibus haud abſimiles, globoſi, glabri, rubro-flaveſcentes, carne intus mucilaginosâ, ex albo cœruleâ, inſipidâ, inodorâ, intra quam duo continentur *Nuclei* oblongo-plano-rotundi, ſubvirides, tenui pellicula cincti, ſaporis ſubadſtringentis, nec non diſſepimento membranaceo ab invicem ſejuncti.

Provenit ubique in Malabar, præſertim circa Cochin; quotannis bis fruget, Aprili viz. & Octobri menſibus, diuque frugifera manet.

In Medicina nullum habet uſum.

Guettarda speciosa


Ráva-pù. *lat.*

രാവപ്പൂ *mal.*


Cadámba. *bra.*

काउबा

رعوا بو *Arab.*



Guettarda speciosa
Jasminum hirsutum



RAVA-POU

Seu Jasminum Indicum bacciferum Flore albo majore, noctu olente; vel Arbor tristis de die altera.

Tab. 47. 48.



Ava-pou Malabarensibus, *Marotani* Brachmanis, *Fula Bordao* seu *Arvore triste de dia* Lusitanis, *Nacht-bloemen* Belgis, Arbor est procera, caudice crasso, denso, albicante, cortice obducto atro-purpureo, glabro, inodoro, insipido; nec non ramulis atro-purpureis, intusque fungosis, ceu frondibus umbrosis in latum diffusis, ornato.

Radix albicans, rufo cortice tecta, inodora, saporis adstringentis.

Folia geminata ordine decussato rotundis, rufis, ac lanuginosis petiolis circa ramulos proveniunt, oblongo-rotunda, acuminata, mollia, glabra, densa, splendentia, supernè atro-viridia, infernè subviridia; è costa media crassa, rotunda, albicante, folium per longitudinem medium secante, & in adversa parte altè extuberante, plures aliæ superiora versus exoriuntur costulæ, quæ in se invicem arcuatim deferuntur: sapor subsalsus, odor nullus.

Flores in ramis tenerioribus nascuntur, pediculis oblongis, rufis, ac lanuginosis, ex foliorum interna sede prodeuntibus inhærentes, copiosi, hoc est, terni, quaterni, aut plures simul ferè congesti, candidi, Jasmini aut potius Hyacinthi tuberosæ floribus formâ, magnitudineque pares, similibusque foliis, ut illi, constantes, sed pleniores, multiplicique foliorum texturâ, odoris fragrantissimi, & haud multum à Jasmini aut Tuberosæ florum odore dissimiles. Solent autem noctu in flores explicari, & oriente sole, simulatque ab ipsis radiis illustrari

ſtrari incipiunt, illico decidere, vel antipathiâ quadam, vel præ nimia ſucci tenuitate, quem radii ſolares abſumunt: nam quos ſol non attingit, diutius in arbore hærent.

Floribus *Fructus* nonnunquam ſuccedunt, globoſi, virides, exiguo à latere umbilico præditi, tenuique cortice cincti: huic lignoſus ſubeſt cortex, *Nucleum* includens oblongo-rotundum, albicantem, ſaporis amaro-dulcis & adſtringentis.

Non provenit in Malabar niſi ſobole ſata, cum Regio hæc natale ejus ſolum non ſit; ſed aliundè eò adfertur. Semper viret, fragrantiſſimoſque flores fert, qui ſole occidente explicantur, & oriente decidunt. Species autem hujus arboris deſcribitur in parte prima, nomine *Manyapou-Maram.*

E foliis hujus arboris in aqua coctis potus conficitur, qui mulieribus parturientibus exhibitus, partum accelerare dicitur. Cortex in pulverem redactus, & ulceribus inſperſus luxuriantem ac fungoſam carnem exſiccat & tollit.

Tab. 47. 48.

Rava-pou alterum *Arboris triſtis* genus eſt, ejuſque nullus Botanicorum fecit mentionem. *Jaſmini* ſpecies meritò cenſetur, uti generica ejus nota indicat, unde haud abs re nominari poteſt *Jaſminum Indicum Bacciferum flore albo majore, noctu olente.* Seu *Arbor triſtis de die altera.* Prima ejus ſpecies delineatur & deſcribitur in Parte 1. Tab. 21. nomine *Manjapumeram*, eſtque hæc vera *Arbor triſtis Cluſii*, uti in Comment. *Cl. Syen* rectè obſervat: inter hanc tamen & *Rava-pou* magna non intercedit ſimilitudo.



ANA-

Casearia Anavinga

Ána-vínga. Lat.

ആനവിങ്ങ Mal.

عَنَغْ وِيْنْغَا Arab.



ANAVINGA.

Tab. 49.



Navinga Malabarenſibus, *Talana* Brachmanis, *Bringiela Falſa d'arbore* Luſitanis, *Granaatpruymen* Belgis, Arbor eſt mediæ magnitudinis, altitudine viginti, craſſitie vero ſex pedum menſuram circiter æquans, multiſque ramis furvis, intuſque viridibus donata: lignum albicans, denſum, cinereo, glabro, ac amaro cortice munitum.

Radix rufa, fibroſa, nigricante cortice tecta, fœtida, amara.

Folia alternatim ramulis inhærent, oblongo-rotunda, acuminata, & in ambitu quodammodo crenata, glabra, denſa, colore atro-viridi ſupernè ſplendentia, infernè viridi-dilutiore, nervis aliquot è media coſta in latera excurrentibus; ſapor amarus, odor ſylveſtris ac ingratus.

Flores exigui, virides, inodori, ſaporiſque amari, brevibus petiolis ad foliorum exortum ramulis inhærent, atque è quatuor rotundis, cochleato-cavis conſtant foliolis, ſex viridi-flaveſcentibus ſtaminulis, rubicundis apicibus ornatis, medium occupantibus; inter quæ ſtylus prodit viridi-flaveſcens, capitulo rotundo.

Fructus globoſi cum cuſpide in vertice, ceraſorum magnitudine æmuli, virides, glabri, tenui pelliculâ cincti, carneque viridi, ſucculenta, ſaporiſque amari, intus referti; intra quam numeroſa ſemina rufa, mali punici in modum, diſponuntur.

Provenit locis arenoſis in Malabar, præſertim circa Cochin; ſemper viret, quotannis maturos fert fructus, menſe viz. Auguſto.


Cæterum ſuccus è fructibus hujus arboris expreſſus, & exhibitus ſudores movet, ac morbis malignis medetur; nec non laxam ſervat alvum. E foliis in aqua coctis Balneum fit, quibuſcunque articulorum doloribus tollendis utile.

Tab. 49.

Arboris hujus fructum *Eidemeiba* dictum quondam ex India accepi, nullâ tamen nec ejus, nec arboris additâ deſcriptione.



COU-


Corondi. lat.
mal.
Arab.
Pars 4. Tab. 50.

COUROND I.

TAB. 50.


Ourondi Malabarensibus, *Courdi* Brachmanis, *Asotas* Lusitanis, *Grieten* Belgis, Arbor est procera, caudice crasso, denso, albicante, cortice obducto nigricante, scabro ac aspero, ramulisque plurimis, intus fungosis donato.

Radix albicans, cinereo cortice tecta, acris, graveolens.

Folia geminata ordine parallelo circa ramulos proveniunt, oblongo-teretia, in ambitu leviter crenata, crassa, densa, glabra, splendentia, supernè viridia, infernè subviridia, nervis aliquot è media costa in latera excurrentibus; sapor adstringens, odor nullus.

Flores exigui, viridi-flavescentes, vitis viniferæ flosculis haud absimiles, ad foliorum exortum circa ramulos proveniunt, copiosi, hoc est, terni, quaterni, aut plures simul ferè congesti, quinque subrotundis foliolis constantes, numerosis staminulis medium occupantibus, inodori, saporis adstringentis.

Floribus pari fertilitate *Fructus* succedunt, rotundi, purpurei, crasso, carnoso, molli, intusque croceo cortice cincti, Glandi similem *Nucleum* intus continentes, qui rufâ pellicula tectus, odoris ingrati, saporisque subadstringentis est.

Nascitur locis montanis & petrosis circa Paracaro; semper viret, singulis annis maturos fert fructus, Decembri viz. & Januario mensibus, diuque frugifera manet.

Porro ſuccus è foliis hujus arboris expreſſus, & cum ſero lactis calidè exhibitus Diarrhææ ac Dyſenteriæ medetur: idem præſtant Nuclei fructuum quocunque modo ſumpti.

Tab. 50

Courondi meminit *Zanonius hiſt. Botanic. cap.* 13. ubi legitur *Corundi.*



BEN-


Stillingia (Sapium) indica
Pars 4. Tab. 51.
Bengiri. lat.
mal.
Arab.

BENGIEIRI.

Tab. 51.



Rbor quæ Malabarenſibus *Bengiri* ſeu *Caremotti*, Brachmanis *Girimaſo*, Luſitanis *Nilica d'inferno*, Belgis *Nootjes craack myn niet* nuncupatur, mediæ eſt magnitudinis, caudice craſſo, albicante, cortice obducto nigricante; nec non multis ramulis cinereis, intus fungoſis, inodoris, saporiſque acris donato.

Radix albicans, flaveſcente ac lacteſcente cortice tecta, inodora, ſaporis acris & urentis.

Folia alternatim brevibus petiolis circa ramulos proveniunt, oblongo-teretia, acuminata, in ambitu ſerrata, craſſa, denſa, glabra, nervis aliquot è media coſta albicante, & infernè extuberante in latera excurrentibus; ſapor dulcis & adſtringens.

Floſculi exigui & penè inviſibiles ſurculorum extremis racematim proveniunt, calycique viridi-albicanti & exiguo inhærent, tribus ſtaminulis, luteis apicibus ornatis, conſtantes. At verò floſculi hi *Juli* potius dicendi ſunt, cum ex iis Fructus non enaſcuntur: ſed infra floſculorum analogicè dictorum racemos, ſeu potius ſpicas *Gemma* obſervatur oblongo-rotunda, tria emittens reflexa, albicantia, flaveſcentibus apicibus ornata, filamenta; quæ gemma inodora, inſipida, ipſius fructus rudimentum eſt.

Fructus rotundi, ſex angulis craſſioribus ſulcati, fructibus *Nilicamaram*, in parte prima deſcriptæ, haud abſimiles, virides, craſſo cortice cincti; cui ſubeſt putamen, ſeu cortex lignoſus, rufus, bina ternave includens *ſemina*, albicantia, dulcis gratique ſaporis, Ricini ſeminum formâ æmula. Craſſus autem, qui fructum hunc ambit, cortex levibus inciſuris vulneratus lachrymam fundit lacteſcentem, acrem, urentem; quam ob rem ſi quis fructus hoſce ex-

exſiccatos dentibus confringere conetur, mox inſigni acrimoniâ lingua, fauces, cæteræque oris partes vellicantur, intumeſcunt, inflammantur, quæ ſymptomata mors intempeſtiva non rarò excipit.

Creſcit locis arenoſis & humidis in Malabar, præſertim circa Cochin; ſemper viret, quotannis maturos fert fructus, menſe viz. Septembri.

Cæterum contrita & pulveriſata hujus arboris folia ulceribus inſperguntur ad fungoſam, luxuriantemque carnem tollendam. Eadem folia conciſa, & cum Bubali fœcibus in nodulo conſuta, ac calefacta convulſis & ſpaſmo affectis partibus utiliter applicantur.

Tab. 51.

Bengieiri ſpecies eſt *Avenacou* ſeu *Ricini* part 2. Tab. 32. 33. 34. deſcripti. Diu anceps hæſi, nonne lignum hujus arboris ſit *Lignum Moluccenſe* ſeu *Panave*, de quo agit *Chriſtoph. Acoſta cap.* 34. quamquàm folia illius cum *Bengieiri* foliis vix ullam habere videntur ſimilitudinem.



ARIA-


Aria-Bepoú. lat.
ആരി വെപ്പു mal.

ARIA-BEPOU.

ſ: nimbo Acoſtæ.

Tab. 52.



Ria-bepou Malabarenſibus, *Nimbou* Brachmanis, *Amargoſeira* Luſitanis, *Gal-beſſen* Belgis, Arbor eſt procera, caudice craſſo, ex albo flaveſcente, cortice cincto nigricante; nec non ramulis rufis, ceu frondibus umbroſis in latum diffuſis, ornato.

Radix craſſa, albicans, atro-purpureo cortice tecta, graveolens, amara.

Folia numeroſa circa teneriores ramulos proveniunt, oblongo-teretia, acuminata, in ambitu profundè ſerrata, tennuia, glabra, nitentia, graveolentia, amara; nervis aliquot è media coſta, infernè altè extuberante, & folium per longitudinem medium inæqualiter ſecante, in latera excurrentibus.

Flores petiolis oblongis racematim proveniunt, exigui, candidi, inodori, calycique exiguo, viridi, in quinque lacinias acuminatas ſecto inhærent, quinque teretibus foliolis conſtantes, medium occupante calyce fimbriato, exiguo, ſubflavo, ſtaminula decem continente, nec non longum tenuemque ſtylum, extremas calycis oras quodammodo ſuperantem haud ſecus ac in Narciſſo juncifolio obſervare eſt.

Fructus ſimiliter racematim proveniunt, oblongo-rotundi, olivis minoribus formâ haud abſimiles, primum flaveſcentes, dein purpuraſcentes, tenui pelliculâ cincti, carneque oleosâ, acri ac amarâ intus referti; intra quam oſſiculum locatur oblongum, Nucleum includens albicantem.

Crescit locis arenosis circa Trevancoor, nec non in Tutucoryn, Jaffanapatuam, aliisque Insulæ Zeylan locis; semper viret, quotannis bis floret, frugetque.

E fructibus vero hujus arboris oleum exprimitur, è quo pictores colores conficiunt pannis gossypinis pingendis. E foliis in aqua coctis Balneum paratur, variolis expellendis, & articulorum doloribus mitigandis utile. Ex iisdem foliis siccatis, pulverisatis, & cum oleo è fructibus expresso mixtis unguentum conficitur, quod partibus dolentibus, convulsis, & spasmo affectis utiliter inungitur.

Tab. 52.

Quanquam in Comment. ad *Narum-panel* part. 2. Tab. 9. & 10 descriptæ, dubitavi, essetne *Nimbo* species; hæc tamen *Aria-bepou* vera *Nimbo* arbor est, cujus meminerunt *Acosta cap.* 39. & *Garcias ab Horto lib.* 2. *cap.* 2. qui insuper *Bepole* eam nuncupant. *Joh. Bauhinus in histor. plantar. universali* vocat *Nimbo folio & fructu oleæ*. Et *Casparus Bauhinus in Pinac. Fraxino similem oleæ fructu* eam dicit. *Jacobus Bontius lib.* 6. *cap.* 9. duas *Nimbo* species describit nomine *Lauri Indicæ*: illarum tamen icones vix ullam cum *Nimbo Acostæ* habent similitudinem; unde haud immeritò dubitatur, sintne aliæ arbores, quas pro *Nimbo* species bus *Bontius* describit.



KA-



Kari-bépu. lat.
Mal.
Cári-béu, bra.
Arab.

KARIBEPOU.

f. Nimbo altera.

Tab. 53.



Rbor quæ *Karibepou* Malabarensibus, *Karabou* Brachmanis, *Amargoseira Macho* Lusitanis, *ronde Gal-bessen* Belgis nuncupatur, altera *Bepou* species est, præcelsa atque speciosa plurimum, caudice præcrasso, albicante, cortice obducto nigricante, graveolente, amaro; nec non plurimis donato ramulis rubicundis, ac lanuginosis.

Radix albicans, atro-purpureo cortice tecta.

Folia præcedentis speciei foliis haud absimilia, at minora, odoris ingrati & sulphurei, saporis acido-amari.

Flores haud secus ac Aria-bepou flores, racematim proveniunt, exigui, candidi, graveolentes, calycique exiguo, rufo, in quinque lacinias acuminatas secto inhærent, quinque acuminatis foliolis constantes: foliola hæc intercedunt decem staminula candida, rufis apicibus ornata; medium occupante stylo tenui, albicante, capitulo viridi.

Fructus Aria-bepou fructibus similes, at rotundi, & intensiore purpurâ tincti.

Provenit pluribus in locis Malabar, præsertim circa Angiecaymaal; semper viret, quotannis bis floret, frugetque.

Porro è fructibus hisce oleum exprimitur. Ex arboris foliis tenerioribus in lacte dulci coctis, & contusis Cataplasma conficitur, quod serpentum, aliorumque venena-

torum animalium morſibus medetur, ſi affectæ parti applicetur. Ex iiſdem cum Aria-bepou foliis in aqua coctis Apozema paratur, febribus peſtilentialibus, aliisque morbis malignis perquam utile. Radix quocunque modo ſumpta alvum movet.

Tab. 53

Kari-bepou altera *Nimbou* ſpecies meritò cenſetur, quanquam figura cum *Nimbo altera Bontii* nullam habet ſimilitudinem; atque ideo nominari poteſt *Arbor Indica Fraxino ſimilis altera, flore albo, fructu rotundo nigro*, ſeu *Nimbo altera.*




KARI-


Par. 4. Tab. 54.
Kari-vetti. lat.
കരിവെട്ടി mal.
Daliki. bra.
दाकक
Arab.

KARI-VETTI.

TAB. 54.



Ari-vetti Malabarensibus, *Pada-daliqui* Brachmanis, *Querillas* Lusitanis, *Hartenhaver* Belgis, Arbor est mediocris magnitudinis, caudice crasso, flavescente, cortice obducto cinereo, multisque ramulis rufis ac quadrangulis donato.

Radix fibrata, albicans, cortice cinereo, intus rufo tecta, inodora, saporis acris.

Folia bina & bina sibi invicem opposita, oblongo-teretia, acuminata, in ambitu serrata, crassa, densa, glabra, atro-viridia, supernè splendentia, infernè nequaquam, inodora, insipida; costa media albicans, & in adversa parte alte extuberans, è qua plures exiles nervuli superiora versus exoriuntur, qui in se invicem arcuatim deferuntur. At vero tenella folia è ramis prodeuntia primum subcinerea sunt, dein purpurea, tandemque atro-viridia evadunt.

Flosculi extremis surculis racematim proveniunt, exigui, suaveolentes, insipidi, purpurei: constant ii unico foliolo, sed in quatuor profundas lacinias diviso, sic ut plura videantur, binis staminulis, luteis apicibus ornatis, medium occupantibus.

Flosculis pari modo succedunt *Baccæ* oblongo-rotundæ, rubro-cœruleæ, intusque carne succulentâ & amarâ refertæ, intra quam ossiculum locatur candidum, glabrum, *Nucleum* includens albicantem, ac subamarum.

Nascitur ubique in Malabar, præsertim circa Cochin; semper viret, quotannis fructus fert, mense viz. Augusto, diuque frugifera manet.

Porro ſuccus è foliis hujus arboris expreſſus, & cum ſero lactis exhibitus, egregium eſt vomitorium, humoreſque bilioſos ac pituitoſos per ſuperiora educendo, ventriculum potenter expurgat.

Tab. 54.

Quanquam *Kari-vetti* & *Pevetti* ex eodem cognomine conſimiles videntur ſpecies, multum tamen in notis genericis diſcrepant.



PE-

Physalis flexuosa



PEVETTI.

Tab. 55.



Evetti Malabarensibus, *Doudalaqui* Brachmanis, *Satilhas* Lusitanis, *Moorenkappen* Belgis, Arbor est justæ magnitudinis, caudice crasso, candido, cortice obducto cinereo, multisque ramulis cinereis donato.

Radix fibrata, albo-flavescens, ruso, intus purpureo cortice tecta, odoris saporisque sylvestris.

Folia geminata ordine parallelo ramulis inhærent, oblongo-rotunda, ac in mucronem desinentia, crassa, glabra, mollia, nitentia; costa media crassa, & in adversa parte altè extuberans, è qua plures exiles nervuli superiora versus excurrunt: sapor acido-adstringens, odor nullus.

Flosculi plures simul juncti ad foliorum exortum ramulis inhærent, exigui, inodori, insipidi, sex teretibus, acuminatis, subflavescentibus, ac extrorsum reflexis foliolis constantes, medium occupante stylo exiguo, candido, capitulo flavo.

Flosculis succedunt *Baccæ* plano-rotundæ, acuminatæ, decem angulis sulcatæ, purpureæ, glabræ, nitentes, intusque in decem loculamenta per membranaceas quasdam pelliculas distinctæ, in quibus totidem locantur *Acini* oblongo-rotundi, triquetri, crocei, glabri, intus candidi, amaro-dulces; ita ut singuli in singulis latitent cellulis.

Provenit ubique in Malabar, præsertim circa Paloerti; semper viret, quotannis fructus fert, mense viz. Augusto, atque per octoginta non rarò frugifera manet annos.

Cæterum ex arboris foliis unguentum conficitur vulnerarium.

Tab. 55.

Prosper Alpinus de plantis exoticis libr. 1. *cap.* 33. describit & delineat *Solanum somniferum antiquorum* ex Creta Insula, quæ magnam cum *Pevetti* habet similitudinem; hoc solo discrimine, quod *Pevetti* in justæ magnitudinis excrescat arborem, at *Solanum somniferum antiquorum* humilis tantum sit arbuscula, seu potius frutex; quod tamen pro loci natalis, aliorumque accidentium varietate contingere potest, uti in aliis stirpibus id observamus.


Pars 4. Tab. 56.
Núli-táli. lat.
mal.
Boin-Sadapai. bra.
Arab.

NOELI-TALI.

ſeu Berberis Indica aurantiæ folio.

Tab. 56.



Oeli-Tali Malabarenſibus, *Beſtram* Brachmanis, *Cordoeira* Luſitanis, *Vlashout* Belgis, Arbor eſt mediæ magnitudinis, caudice mediocriter craſſo, albicante, denſo, cortice obducto cinereo, multiſque ramulis viridibus donata.

Radix rufa, nigricante cortice tecta, nec non fibris ſuis latè per terram diffuſa; ſapor adſtringens, odor ſylveſtris.

Folia ſine ordine ramulis inhærent, oblongo-rotunda, ac in acumen deſinentia, mali aurantiæ foliis haud abſimilia, exceptâ illa appendice, qua hujus arboris folia carent, craſſa, glabra, denſa, atro-viridia, ſplendentia, inodora, inſipida, nervis aliquot è media coſta in latera excurrentibus.

Floſculi racematim cohærent plurimi ex pediculo tenui, unciali & ſeſquiunciali, aciduli, inodori; conſtant ii è gemmulis exiguis, pallidè virentibus, ſtaminulis tribus exiguis; albicantibus ſupereminentibus.

Floſculis ſuccedunt *Baccæ* cylindraceæ, tenues, per maturitatem pulchrè rubentes, ſapore acido & ſubadſtringente, Berberis fructibus perſimiles.

Creſcit ubique in Malabar, præſertim circa Repolyn; ſemper viret, frugetque, & per ſeptuaginta non rarò frugifera manet annos.

Porro ex arboris hujus cortice, haud ſecus ac è cannabe, funes texuntur. Fructus in deliciis comeduntur, iique

iique impensè refrigerant, uti Berberes. Folia antidotum habentur morsui Colubri *Heretimandel* Malabarensibus dicti; cujus morsu homines quidem non statim intereunt, sed interim totius corporis carnes corrumpuntur, computrescunt, decidunt, tandemque post tot miserias debitum naturæ persolvunt; nisi utantur potu, qui ex foliis hisce cum salito mangæ fructu in aqua coctis conficitur.

Tab. 56.

Noeli-tali Berberis species meritò censetur, atque ideo dici potest *Berberis Indica aurantiæ folio.*



POU-


Pars 4. Tab. 57.
Poutaletsje. lat.
mal.
Arab.

POUTALETSJE.

Tab. 57.



Outaletsje Malabarensibus, *Barsoti* Brachmanis, *Ilata* Lusitanis, *Waak-blad* Belgis, Arbuscula humilis est, caudice tenui, ex albo flavescente, cortice obducto furvo, multisque ramulis viridibus, quadrangulis, ac geniculatis donato.

Radix albicans, cinereo cortice tecta, saporis unctuosi & subadstringentes, odoris sylvestris.

Folia geminata ordine parallelo circa ramulos proveniunt, oblongo-teretia, acuminata, crassa, densa, glabra, supernè viridia, nervis aliquot è media costa albicante in latera excurrentibus, odor & sapor sylvestris.

Flores exigui, inodori, insipidi, extremis surculis proveniunt, porrectisque columellis umbellæ specie panduntur, ac collo longiori inhærent calyci candido, lanuginoso, quadripartito, quatuor cœruleo-purpureis, acuminatis, & extrorsum reflexis foliolis constantes; foliola hæc totidem intercedunt staminula alba, cœruleis apicibus ornata, medium occupante stylo purpurascente.

Flosculis decidentibus succedunt *Baccæ* oblongæ, subcœruleæ, intusque seminibus numerosis, ac furvis refertæ, aromaticæ, inodoræ.


Crescit ubique in Malabar; præsertim circa Cochin; semper viret, Julio & Augusto mensibus flores fert, at diu superstes non est.

Porro ex arboris foliis in lacte coctis potus paratur, qui somnum prohibet, nec non Lethargo, aliove soporoso af-

fectu laborantibus prodest. E foliis, floribus, cortice, radice, aliisve ejus partibus in aqua coctis Balneum fit, Epilepsiæ, aliique spasmodicis affectibus curandis utile.

Tab. 57.

Pontaktsje species est *Ligustri.*



Fagraea malabarica

Módagam. lat.

മൊടഗം *Mal.*

MODAGAM.

TAB. 58.



ARbuſcula quæ Malabarenſibus *Modagam*, Brachmanis, *Corotha*, Luſitanis, *Ammaco*, Belgis *Hondts-tongh* nuncupatur, altitudine duodecim, craſſitie verò quatuor pedum menſuram circiter æquat, ramuliſque albo-virideſcentibus, in orbem latè diffuſis donatur; Lignum albicans, cinereo cortice cinctum.

Radix albicans, furvo cortice tecta, odoris & ſaporis ſylveſtris.

Folia petiolis alatis circa extremos ramulos proveniunt, oblongo-rotunda, craſſa, denſa, glabra, ſupernè atro-viridia & ſplendentia, infernè ſubviridia, nervis aliquot è coſta media craſſa, albicante in latera excurrentibus, odore & ſapore ſylveſtri. At vero folia hæc cum decidunt, ſui ſtigmata relinquendo circularibus, prominentibuſque annulis arboris ramos cingunt.

Flores plures ſimul juncti extremis ramulis proveniunt, odori, candidi, Rhododendri floribus ſimiles, calycique viridi, in quinque lacinias ſecto inhærent, quinque ſubrotundis foliis conſtantes, totidem albicantibus, luteis apicibus ornatis, ſtaminibus mediam floris cavitatem & umbilicum occupantibus; inter quæ ſtylus prodit albicans, capitulo viridi.

Fructus pyriformes, virides, intus fungoſi, adſtringentes, numeroſi, minutiſſimiſque granulis referti.

Provenit ubique in Malabar, præſertim circa Kandenate; ſemper viret, floret, ac fructus fert, ſed diu frugifera non manet.

Cæterum ex arboris cortice & radice in aqua coctis Apozema paratur, inveterato capitis dolori tollendo utile. E foliis potio conficitur ad menſtrua ſuppreſſa provocanda.

Béla-Módagam. lat.

വെള്ളമൊടകം. mal.

وِللاّ مُعضاغامْ Arab.



BELLA MODAGAM.

Tab. 59.



Rbor quæ Malabarenſibus *Bella Modagam*, Brachmanis *Tacorotha*, Luſitanis *Ammaco Macho*, Belgis *Groot herts-tongh* nuncupatur, ſpecioſa eſt atque præcelſa plurimum, caudice craſſo, albicante cortice obducto, ramuliſque viridibus, fungoſa intus medulla refertis, plurimis donato.

Radix albicans, flaveſcente cortice tecta, ſaporis acris, odoris ſylveſtris.

Folia præcedentis arboris foliis cum formâ, tum magnitudine ſimilia.

Flores ſuaveolentes, inſipidi, plures ſimul juncti extremis ramulis proveniunt, calycique viridi, in quinque lacinias acuminatas ſecto inhærent; conſtant ii ex unico folio oblongo-rotundo, bifido, & aliquando trifido, ſupernè albo-ſtriato & lanuginoſo, infernè viridi-albicante, quinque tenuibus ſtaminulis medium occupantibus, inter quæ ſtylus prodit candidus, oblongus, capitulo rotundo.

Fructus ſubrotundi, virides, glabri, uvis criſpis haud abſimiles, at quinque angulis ſulcati, & calyce florum ſurrecto in vertice coronati, tenui pelliculâ cincti, carneque viridi & adſtringente intus referti, intra quam oſſiculum locatur candidum, Nucleum includens albicantem.

Creſcit locis arenoſis & montanis in Mangatti; ſemper viret, floret, ac fructus fert, diuque frugifera manet.

Porro ex arboris foliis Cataplasma conficitur, quod tumoribus impositum potenter eos emollit & maturat. Ex iisdem in aqua coctis Apozema præparatur, quod urinam movet & menstrua obstructa provocat.

Tab. 58. 59.

Quanquam *Modagam* & *Bella-Modagam* ex eodem cognomine consimiles videntur arbores, ad diversas tamen species referri debent.



TON-


Pars 4. Tab. 60.
Tóndi-Teregam. lat.
mal.
Arab.

TONDI TEREGAM.

Tab. 60.



Rbor hæc Malabarensibus *Tondi Teregam*, Brachmanis *Tondi Karavatti*, Lusitanis *Folhas da raspa Macho*, Belgis *Groot Rijf-blad* appellatur; Estque procera, sexaginta circiter pedes alta, caudice crasso, ramulis rectis, longis, atro-viridibus, lanuginosis, asperis, fungosâ intus medulla refertis, plurimis donato; lignum albicans, nigricante cortice cinctum.

Radix fibrata, albicans, lactescens, ruso, intus croceo cortice tecta, inodora, saporis acris.

Folia geminata ordine parallelo petiolis longis circa ramulos proveniunt, oblongo-rotunda, acuminata, in ambitu crenata, crassa, mollia, glabra, supernè viridia, & nitentia, infernè subviridia & lanuginosa, nervis aliquot è costâ mediâ crassâ, in adversa parte extuberante & lanuginosâ, in latera excurrentibus; odor suavis, sapor aromaticus.

Flosculi pediculis oblongis ex foliorum interna sede circa ramulos proveniunt, terni, aut plures simul congesti, purpurei, manubus confricti suaveolentes, calycique viridi, lanuginoso, ac quadripartito inhærent, quatuor acuminatis foliolis constantes; foliola hæc intercedunt totidem staminula purpurascentia, medium occupante stylo pulchrè rubente, capitulo albicante.

Fructus hanc arborem nullos ferre Malabarenses testantur.

Crescit locis arenosis & petrosis in Mangatti; semper

viret, Julio & Augusto mensibus flores fert, diuque superstes manet.

Porro ex arboris foliis in lactis sero coctis fit oris collutio pro Aphthis. E cortice, & Radice in aqua decoctis Apozema conficitur, quod æstum febrilem temperat, hepatis obstructiones reserat, nec non herpeti, scabiei, similibusque affectibus medetur.



RA-


Ramena-pú-maram. lat.
mal.

RAMENA-POU-MARAM.

TAB. 61.


Amena-pou-Maram Malabarensibus, *Brampou* Brachmanis, *Estrela d'alva* Lusitanis, *Morgen-sterren* Belgis, Arbor est procera, septuaginta circiter pedes alta, caudice crasso, denso, albicante, cortice obducto furvo, scabroso, ramulisque plurimis, in orbem longè latéque diffusis, donato.

Radix flavescens, nigricante cortice tecta, odora, aromatica.

Folia petiolis oblongis circa extremos ramulos proveniunt, oblongo-rotunda, crassa, glabra, supernè atroviridia & splendentia, infernè subviridia, nervis aliquot è costa media, & in adversa parte altè extuberante, in latera excurrentibus; odor suavis, sapor sylvestris. Porro folia hæc cum decidunt, haud secus ac Modagam folia, stigmata sui relinquendo circularibus, prominentibusque annulis arboris ramulos cingunt.

Flores extremis ramulis racematim inhærent, suaveolentes, quinque acuminatis, pallidè rubentibus, intus lanuginosis, ac stellæ in modum expansis foliolis constantes, medium occupante stylo candido, apice ornato tripartito, supereminente in extremitate plumulâ albicante.

Floribus rarò Fructus succedunt; testantur tamen Malabarenses nonnunquam *Baccas* ferre hanc Arborem oblongo-rotundas, flavo-purpurascentes.

Crescit locis Montanis in Berkencour.

De viribus nihil constat.

INDEX.